Diss. Leipzig
1882
F. O. Stangl

DE RE
METRICA MARTIANI CAPELLÆ.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS OTTO STANGE

SAXO

EX VICO WEHRSDORF.

LIPSIÆ

TYPIS JULII MÆSERI

MDCCCLXXXII.

Martiani Capellae de nuptiis Philologiae et Mercurii libri VIIII cum contineant tot carmina tam variis metrorum generibus composita, quam exceptis fortasse Ausonio Prudentio Boethio vix apud alium quenquam poetarum christianorum reperiuntur, mirum quam pusilla cum cura ante hos dies viri docti in examinanda huius poetae re metrica versati sint. Nam de Ausonii arte cum satis diligenter disputaverit Raehsius[1] nec minus de Prudentii et Boethii poesi in editionibus Dresselius et Peiper, in pertractanda carmina Martiani qui incubuerit dicere non habeo. Egere autem haec carmina diligentiore pervestigantis cura non minus demonstratur summa priorum criticorum, Grotii Koppii, Meibomii Boettgeri aliorum denique Eyssenhardtii in emendandis versibus haesitatione et imperitia quam summi iudicio Ritschelii, qui verbis illis, quae leguntur in ‚Neue Plautin. Excurse' I. p. 124[2], aperte declaravit non tam uni librorum auctoritati in carminibus illis recensendis, quam metricae rationi fidem esse habendam. Itaque cum Petersenus[3] neglecta fere re metrica in pertractandis iis partibus, quae prosa oratione continentur, praecipuam operam navaverit, iam nos experiamur, si quid lucis poeticis partibus nostra diligentia afferri possit. Nam quae in praestantissimo L. Muelleri de re metrica poetarum Latinorum opere passim de Martianea poesi reperiuntur, ea cum per se summi sint pretii, tamen propter id ipsum, quod neque uno tenore proferuntur neque omnia Capellae carmina ample-

---

[1] Th. Raehse, de re metrica Ausonii. 1868. Berlin.

[2] Ritschelius illo loco postquam refutavit minus recte quidem, ut postea videbimus, L. Muelleri de hiatus apud Martianum usu sententiam, hisce verbis dicere pergit: „Aber das ist ja derselbe, lediglich auf die handschriftliche Ueberlieferung gebaute Text, der — um vieles andere zu übergehen — z. B. p. 374.14 auch den Senar gibt ‚Haec quippe loquax docta indoctis adgerens', den doch in dieser Schreibung kein Mensch dem Martianus zutrauen wird."

[3] In egregia illa de M. Capella emendando disputatione, quae prodiit Helsingforsiae a. 1870.

ctuntur, non idonea sunt ad universam illius poetae indolem declarandam; accedit quod Muellero in sola Koppii editione niso Eyssenhardtii optimorum codicum collatione uti nondum licuit: quanquam per se patet eius inventa ubique a nobis esse respicienda.

Iam vero ut quale nos in hac disputatiuncula consilium secuturi simus paucis indicetur, primo capite investigandum erit, quibus in universum legibus prosodiacis Martianus sese applicuerit; secundo, quas in singulis versibus pangendis normas observaverit: quo in capite rerum ratio postulat, ut de iis quoque locis numero haud paucis disseratur, quorum sive sententia sive condicio metrica correcturam suadere videatur[1]; tertio, quam rationem in prosa oratione versibus distinguenda secutus sit; denique quarto, quae eum exempla imitatum esse probabile sit.

Caput I.

De legibus prosodiacis a Martiano Capella observatis.

De Martiani Capellae aetate cum nihil fere pro certo affirmari possit nisi hoc, conscriptos esse libros VIIII de nuptiis Philologiae et Mercurii aliquot annis vel etiam lustris ante expugnatam a Vandalorum gente Karthaginem[2], haud ita longe a recta via aberrabimus suspicando poeticas illius operis partes ex eadem fere laborare rerum prosodiacarum incuria ac licentia, cui paene omnes illius saeculi poetas obnoxios fuisse notum est. Priusquam igitur de versuum ipsorum indole disputetur inquiramus necesse est, quibus in rebus a severioribus prosodiae praeceptis Martianus discesserit.

Itaque ut ex ordine singula perlustremus, in vocalium concursu nimirum eam in universum regulam secutus est, vocalis ante vocalem ut corripiatur; etiam diphthongum ea sub condicione semel videmus correptam p. 35.12, ubi vocis ‚Sabaeorum‘ syllaba a fine tertia nisi haberetur brevis metro choriambico non responderet: sed in hac re optimorum poetarum usu defenditur (cf. L. Mueller, de re m. p. 247. Christ, Metrik² § 36 in f.). — Longam vero diphthongum neglecto communi priorum poe-

---

[1] Et in coniecturis adhibita nimirum ratione admittendis paulo maiore licentia nobis uti licere putavimus in eo scriptore, quem ex Eyssenhardtii praefatione p. XVIII—XX discimus a medii aevi hominibus dignum iudicatum fuisse, ex quo adulescentes in scholis instituerentur.

[2] In hac re secuti sumus rationes Eyssenhardtii, quas cuius pluris interest cognoscere reperiet in praef. p. V—VIII.

tarum usu retinuit Martianus in verbo praeoptandi[1], a quo incipit versus herous p. 10.2. — Stoicorum autem syllabam primam, quam in choriambico metro (p. 35.10) ipsam quoque breviatam voluerunt Grotius ceterique, num revera corripi potuisse credamus posthac videbimus, ubi seorsum de istis versibus erit dicendum. Contra Vergilianum exemplum[2] secutus ‚Nerea' posuit producta paenultima p. 341.24. — Et haec quidem de vocalium in eadem dictione concursu sufficiant.

Iam synizesis qui Martiani usus fuerit paucis licebit absolvere. Et L. Mueller cum p. 276 sup. Koppii editionem secutus Martianum referat in numerum eorum, qui synizesi omnino abstinuerint, Eyssenhardtium perperam bis ea usum esse existimaverim. Itaque quam p. 9.26 cum optimo utroque codice *BR* versiculi formam restituit hanc: ‚At nobis praescire vacuum, cunctatio nulla est', in ea acquiescere nolo. Geminatam enim vocalem *u* nulla vocali insequente in unam contrahere[3] poetarum quidem, quantum scio, nemo ausus est[4]. Cuius rei cum in sermone fortasse cotidiano[5], item in inscriptionibus[6] librisque manu scriptis[7] pauca quaedam vestigia exstent, a poetarum usu eiusmodi licentiam procul retinendam fuisse pro certo habeo. Quae cum ita sint nos quidem ex compendio ‚vac', quod in archetypo exaratum fuisse probabile est, non ‚vacuum' (quod nescio an recte ex geminatione syllabae insequentis ortum esse coniecerim), sed ‚vacat' eliciendum esse putamus, ut iam legatur sic: ‚At nobis praescire vacat, cunctatio nulla est.' — Altero vero loco p. 331.7 nec cum *R* codice scribendum censeo ‚hymenaea' nec vero cum Eyssenhardtio ‚hymeneia', sed ‚hymenea' cum *B* (ubi deleta est *i* a manu secunda) eadem usus ratione, qua dici solet ‚Phoebeius' et ‚Phoebeus' vel ‚Semeleius' et ‚Semeleus' et quae

---

[1] De praepositionis ‚prae' in compositis sequente vocali mensura L. Mueller p. 248 inf. hoc habet, paene ubique eam inveniri productam: cuius usus ait primum post meliores poetas exemplum videri exstare apud Statium, ubi Theb. VI. 519 haec legantur: ‚. . . . . . cum vacuus domino praeiret Arion'.

[2] Verg. Aen. III. 122; cf. Neue, Lat. Formenl.[2] I. 307 seq.

[3] Hic quod excitavit Salmasii (Scriptt. hist. aug., Paris, a. MDCXX. Notae p. 132 *a*) auctoritatem, ea re, quantum vidi, omnino nihil proficitur.

[4] Contra putare consonantis vice priorem illam *u* litteram functam esse versus ratione vetamur, quippe quo facto ‚vac' syllaba produceretur (cf. Christ, Metrik[2], § 43; L. Mueller p. 256).

[5] Cf. Corssen, Ausspr. etc. II. 712; Schuchardt, Vocalismus etc. II. 464 seqq., (III. 298 seq.).

[6] Cf. e. gr. C. I. L. VIII. 828.14; 4692.13; 9731.3. Sed nusquam in versiculis.

[7] Veluti in Gai Veronensi, ex quo Schuchardtius l. l. exscripsit formas ‚supervacum' et ‚superbacum'.

sunt id genus similia: formam ‚hymeneius' habes p. 255.9 et 38.27; 299.9. Ceterum cf. L. Mueller p. 251.

Synaloepha, quam dicunt, haud sane frequentius iudicaverim usum esse Martianum quam alios. Exscripsi enim longarum vocalium elisiones in universum fere XXXXV adhibitas illas quidem in versibus DCCCXXVIII[1]: e quibus ex nostra computatione fere XXV cadunt in versus dactylicos, quorum in universum (exceptis nimirum Adoniis) in Martiani opere insunt CCCXXXIIII. Quem numerum si comparaverimus cum iis, quae de Vergilii potissimum in elidendis vocalibus longis usu adnotavit L. Mueller p. 282, vix apparebit, quo iure Teuffelius[2] frequentiores longarum vocalium elisiones inter eas res rettulerit, e quibus posteriorum saeculorum vis in Martiani prosodia patefacta appareat. Sed ut paulo accuratius quibus legibus in hac re Martianus sese astrinxerit exponamus, monosyllaba elisa reperiuntur in vocalem longam exeuntia XIIII, quae in *m* litteram finiunt duo; viciens fere elisa est posterior syllaba spondiacorum verborum, bis creticorum, semel etiam vocabuli iambici, quater anapaesticorum, septiens denique verborum pluribus syllabis constantium. Animadvertendum autem nisi uno loco p. 193.11 nusquam elisisse Martianum syllabam longam in brevi; nam quod p. 14.1 restituit Grotius: ‚te te igitur', pro eo dubito an melius legatur ‚tete igitur'. Semel vero (p. 194.12) eliditur ‚qui' pronomen plurali numero positum, quanquam in longa, id quod in brevi fieri potuisse iure negavit L. Mueller p. 283. — Iam qui fuerit Martiani per singula metra in adhibenda elisione usus, de ea re quae commemoratione digna videantur suo loco afferentur. Ex iis autem, quae nunc congessimus, apparet Martianum ut abstinuerit maiore scaenicorum poetarum libertate, ita Ovidii eiusque similium subtilitatem non esse assecutum, nec vero ultra fines Vergilio et qui hunc secuti sunt probatos excessisse.

Hiatum Martianus non admisit nisi in caesura, sed ne hoc quidem loco tam saepe quam visum est Teuffelio, qui eius usum l. l. etiam frequentiorem esse contendit quam longarum syllabarum elisionem. Habes enim in his carminibus versus hiantes XVIII: de quibus in recensendis singulis metris plura dabuntur. Versum qui legitur p. 48.27: ‚Vel quia dissolvis nocturna admissa, Iseum', cave putes hiantem in pede quinto, quippe qui spondiacus potius habendus sit: sed de eo infra quid iudicandum sit proferemus.

Syllabae finales tales, quae in universum habentur breves, haud ita raro a Martiano producuntur. Inter quas nihil

---

[1] Reperiuntur enim illae elisiones in versibus dactylicis, iambicis senariis, iisdem dimetris acatalectis et catalecticis, Phalaeceis, denique Asclepiadeis, qui dicuntur minores.

[2] Gesch. d. röm. Lit.[3], § 452, 5 extr.

offensionis praebent eae, quae defenduntur vi caesurae (cf. L. Mueller p. 323 inf.) et exeunt in consonantem, veluti quae antecedunt incisionibus legitimis versuum choriambici p. 35.7: ‚peperit'; elegiacorum 339.5: ‚meruit' et 339.14: ‚permulsit'; Asclepiadei minoris p. 341.23: ‚regit'. Contra maiorem movent suspicionem duo illi versus, in quibus extenditur arsis vi syllaba brevis terminata vocali; quorum versuum alterum, qui legitur p. 197.25 ita: ‚Interrivata marmore tellus erat', genuina forma ad nos pervenisse compluribus de causis non credo. Sed de eo ibi disputabitur, ubi de pentametrorum compositione in universum agetur. Isto igitur versu nunc quidem remoto unus restat hic, qui legitur p. 342.5: ‚Bis plenum omnisona cui recinunt mela': ubi nescio an sola metri necessitate coacti recte coniciamus inter ‚omnisona' et ‚cui' geminatis *a* et *c* litteris particulam ‚ac' intercidisse, quo facto hanc versiculi speciem nanciscimur: ‚Bis plenum omnisona ac cui recinunt mela'[1]. Iam alia videtur esse ratio earum syllabarum brevium, quae non tam caesurae quam solius arsis vi producantur. Cuius usus cum vel apud Vergilium pauca quaedam exempla reperiantur (cf. L. Mueller p. 328), Martiano quoque libenter veniam daremus, qui in duobus hisce versibus eandem sibi licentiam videtur permisisse:

(p. 32.27) ‚Qui caelum stellet fomes et quanta revolvat';
(p. 255.10) ‚In Veneris agro Pallas sibi vindicat usum',

si sententiarum ratio pateretur. Nunc vero cum utriusque loci sensus desiderare correcturam videatur, sufficiet significasse nos infra istam difficultatem tollere conaturos esse. — Restant duo loci hi:

(p. 11.15) ‚Arcas in thalamos venire iussus';
(p. 194.11) ‚ἑπτὰς in numeris, prior igni, tertia Luna',

quibus in thesi productas esse contendit L. Mueller (p. 342 inf.) syllabas finales in *as* exeuntes: de qua viri doctissimi sententia cum certe dubitari liceat, quippe quae nullis praeterea exemplis defendatur, in secundo capite ad illos locos revertemur.

Nec vero desunt in his carminibus syllabae finales, quae cum apud meliores poetas habeantur longae, a nostro corripiantur. Quanquam ne in hac quidem re omnino librorum auctoritati fidem habendam esse iudico. Quaedam vero cum ab optimorum poetarum severitate abhorreant, Martiani aequalium usu

[1] Quanquam de huius coniecturae probabilitate sane licebit dubitare. Memorandum enim et Ennii Maronisque singulos versus et christianorum poetarum Venantii Corippi, Ausonii Prudentii aliorum paucissimos inveniri simili licentia compositos (cf. L. Mueller p. 323). Contra ‚ac' particula etiamsi non ignoremus quantopere displicuerit eruditioribus auribus ante gutturales posita (qua de re cf. Hauptii obss. critt., opp. I. 107 seqq.), tamen eiusmodi subtilitatem a Martiano neglectam haud aegre feremus.

defenduntur: veluti quod legitur p. 25.21 ‚frustra' correpta *a*; ita enim exstat apud Prudentium *π. στεφ.* I. 13. hoc versiculo: ‚Nemo purus hic rogando frustra congessit preces'[1]. Atque eodem iure defendi potest vocis ‚compar', quae legitur p. 198.4, posterior syllaba correpta, cuius usus simillimum exemplum L. Mueller p. 341 attulit ex Ausonio (idyll. XI. 54) depromptum hoc: ‚Tres primus par impar habet mediumque sed ipse' etc.; nisi forte immutato ordine verborum legere malis: ‚Omnia habet compar paribus sub legibus ordo'[2]. Tertio loco nominandus est versus, qui legitur p. 198.1, ubi formae ‚cerneres' correpta est ultima; et apud ipsum Martianum cum nullum eiusmodi exemplum praeterea inveniri meminerim, iterum provocemus necesse est ad ea testimonia, quae ex Aratore et Venantio attulit L. Mueller p. 342 haec: (Arat. ep. ad Parthen. 22) ‚Ut libertatis posceres actor opem'; (Venant. Misc. XI. 5,4, p. 352 Mign.) ‚Ut mihi inexpletam distribuisses opem'. Quibus addatur versus elegiacus, quem exscripsi ex carmine quodam codicis Turicensis (Anth. Lat. 683.16 *R.*): ‚Ut plures uno crederes ore loqui'. In his manifestissime apparet, quantum illis temporibus iam valuerit ad corrumpendas posteriores syllabas vis accentus a fine longius remoti. — Praeterea in eiusdem carminis versu XII. (p. 197.25) offendimur voce ‚tellus' trochaei mensuram aequante: quam cur posthabitis testimoniis a L. Muellero p. 342 allatis nolim referre inter eas, quarum finalis syllaba a Martiano correpta sit, idoneo loco explanabitur. — Syllabam *as* in fine nominum breviari Martianum quoque noluisse docent loci, quales sunt p. 295.26: ‚Cetera Cecropias aequum perhibere cathedras' et p. 245.10: ‚Hic dudum roseas inter resoluta puellas': unde efficitur ne in his quidem versiculis: (p. 37.23) ‚Vos disciplinas omnes'; (p. 245.11) ‚Voluptas inquit anxia' de eius syllabae correptione esse cogitandum, id quod infra iterum commemorabitur; idem vero cadit in *is* syllabam et versum hunc (p. 37.16): ‚Reserent caducis astra'.

In adhibendis syllabis communibus, quae dicuntur, Martianus quantum video ceterorum poetarum rationes nec minus grammaticorum suaque ipsius praecepta, quae prodidit lib. III. § 278, secutus est: itaque singulorum exemplorum enumeratione licebit supersedere. Addendum fortasse longae vocalis in fine

---

[1] Cf. L. Mueller p. 341. Ceterum huius vocabuli ultimam cotidiano sermone fortasse nunquam produci esse solitam demonstrari censeo usu Plautino, de quo cf. A. Spengel, T. Macc. Plautus p. 62.

[2] Certe commendatur haec scriptura vocum ‚compar' et ‚par' inter se vicinia; transpositis vero singulis versuum vocabulis saepius horum carminum integritatem perturbatam esse demonstrant versus, quales reperiuntur p. 9.26 (cf. edit. Kopp.); 32.1; 34.14; 35.6; 197.30.

vocabuli ante vocalem insequentem correptae nullum exemplum apud Martianum reperiri. Deinde aut fallor aut *gn* litteras Martianus aliter quam ceteri poetae Latini[1] inter eas rettulit, quibus cum antecedat vocalis natura brevis, aut brevis maneat aut producatur: habes enim p. 9.23: ‚īgnota'; 48.6: ‚īgnoti'; 138.4: ‚īgnoto'; 299.24: ‚īgnoto'; contra p. 136.23: ‚ignotum' et 375.11: ‚ignosce' utrumque positum in senarii iambici pede quarto; sed de his tum demum plenum iudicium fieri poterit, cum de senariorum legibus Martiano observatis accuratius exposuerimus. — Denique hic mentionem faciamus vocis ‚utribus', quae legitur p. 298.27; cuius primam cum apud Vergilium Horatium Ovidium alios videamus esse productam nescio an Martianus ancipitem iudicaverit: aliter enim hanc formam in isto versu ferri non posse infra pluribus demonstrabimus; denique quae est huius vocis cum nomine ‚uterus' necessitudo, de *u* litterae longitudine sane licebit dubitare[2].

Eadem vero, ut hoc subiungamus, qua in adhibendis syllabis communibus licentia Martianus usus est in vocabulis iis, quorum praepositione ‚pro' prior pars efficitur; quanquam collatis iis locis, quos affert L. Mueller p. 363, perspicitur eius usum ab optimorum poetarum consuetudine haud ita multum abhorrere. Itaque *o* correpta leguntur p. 11.14; 54.17; 98.12: ‚profatus' et 138.10: ‚profantes'; 13.23: ‚profecto'; 25.15: ‚propinquitas'; 25.16; 48.6: ‚propago'; 48.25; 341.22: ‚prohibens'; 136.15: ‚progressus'; 136.21; 197.24: ‚profundus' et 25.28; 137.4: ‚profunditas'; 339.24: ‚procella'; contra *o* productam habes in his p. 1.4: ‚progenitus'; 11.17; 26.11: ‚propositum'; 13.22: ‚pronuba'; 14.4: ‚provehat'; 339.29; 342.21: ‚protulit'; 343.2: ‚prodient'. In his apparet quantopere non solum cum metri, sed etiam cum eius vocabuli varietate, cuius ‚pro' praepositio priorem partem efficiat, illius syllabae mensura immutari solita sit; nam excepta una voce ‚prohibens', in qua ex usu communi vocalis ante vocalem correpta est, ubique syllabas longas praecedit *o* brevis, breves producta.

Restat denique, ut de nominum propriorum vocumque barbararum apud Martianum prosodia pauca addamus[3]: qua in re cum plerosque poetarum Romanorum constet discessisse ab

[1] Cf. de hac re L. Mueller p. 315/16; Christ, Metrik², § 18.4.

[2] Vocis ‚uter' recto casu positae nullum quantum scio exemplum apud poetas Latinos reperitur excepto uno loco Caecilii hoc (v. 94 Ribb. com. Lat.): ‚ . . . . . . nunc uter Crescit, non potest celari': ubi tamen non de culeo, sed de ipso utero agitur. Itaque de *u* vocalis mensura vix certi quidquam prodi poterit.

[3] In universum cf. L. Mueller de re m. lib. VI. — Praeterea audisse iuvabit Priscianum de acc. c. VIII. (p. 520.23 *K.*): ‚In interiectionibus et in peregrinis verbis et in barbaris nominibus nulli

ea severitate, qua e. c. in notissima illa ad Tuticanum epistula (ex P. IV. 12, 1—16) fuit Ovidius, ne apud Capellam quidem in eiusmodi aliquot licentias incurrentes magnopere offendemur. Itaque exscripsi eas nominum vocumque externarum formas, quibus aliam a Martiano quam plerumque fieri soleat mensuram constitutam esse putandum sit, ne versuum numeri turbati videantur: p. 48.28: Serăpin (cf. Prud. c. Symm. II. 531); 48.29: Mĭthram; 48.31: Ammŏn, Ādon; 299.24: Canŏpos; 198.7: Archīmedea; 343.2: Fescĕnnina; 35.10: Stŏici (?); [35.12: Sabæorum]; 32.19: trigŏnus[1]; 98.9: axiŏma; 136.28: sŏritas[2]; contra de posterioribus syllabis vocum ‚Arcas' (p. 11.15) et ἑπτὰς (p. 194.11) dubitationi locum relinquendum esse iam antea significavimus.

Sed haec hactenus de norma, ad quam in universum Martianus rerum prosodiacarum usum videatur direxisse: superest ut peculiaria quaedam enumeremus, quae cum propria sint poesis Martianeae, a praestantiorum poetarum consuetudine abhorreant. Primum igitur non prorsus obsim Boettgero in disputatiuncula, quae exstat in ‚N. Jbchr. f. Philol.' XIII. Suppl.-B. 1847, p. 610 adnot. 63 haec proponenti: ‚Dass sich auch in Martian ein Uebergang vom quantitirenden Elemente der Sprache zum accentuirenden zeigt, wollen wir trotzdem nicht läugnen'. Insunt enim in his carminibus quaedam formae quanquam paucae, in quibus quantum valuerit vis accentus satis manifesto eluceat. Cuius tamen cum duplex ratio esse possit, altera qua breves syllabae indito accentu producantur, altera qua accentus ob defectum, ut ait L. Mueller p. 356, longae brevientur, dubito an recte ad prius illud genus reicere liceat tria vocabula[3] ea, quorum iniuste apud Martianum productas syllabas priores deprendimus. Unum est quod legitur p. 25.13 ‚palam' producta priore *a*, id quod L. Mueller l. l. ‚nulla excusatione sed sola neglegentia evenisse' existimat[4]; altero loco huc rettulerim vocem ‚loquax' spondei

---

certi sunt accentus, ideoque in potestate uniuscuiusque consistit, ut quo modo necessarium viderit sic in metro ponat.'

[1] Hanc vocem infracta ex frequentissimo posteriorum poetarum usu littera ω non tam bacchei quam anapaesti vice posse fungi edocemur versibus Ausonianis his: (id. XI. 50) ‚Per trinas species trigonorum regula currit'; (de puerp. 40) ‚Vota levat trigono vires sociante sequenti.' Cf. etiam L. Mueller p. 359.

[2] Bene novisse Martianum prosodiam huius vocis demonstratur versu hoc (p. 34.11): ‚Soritas cumuli accessibus aggerans'. Fortasse igitur suspicari licet eum sua manu exhibuisse vernaculam vocem ‚acervos' (vid. p. 98.16), quae postea a scholastico quodam invita Minerva cum Graeco illo vocabulo commutata esset.

[3] Quibus quarto loco adnumerandam esse formam ‚chlamyde' p. 374.19 in fine senarii iambici positam bene iam monuit L. Mueller p. 356.

[4] Quanquam certe mirandum Capellam istam licentiam sibi

numeros aequantem (p. 374.14): quod cum L. Mueller p. 314 ita defendi posse censeat, ut propter *qu* litteras sequentes vocalem brevem saepius produci esse solitam contendat, tamen excussis omnibus locis testimonio ibi allatis quantum video apparet hac ratione nihil praesidii paratum esse [1]. Accedit non solum hoc, quod in enumeratione syllabarum communium (lib. III. § 278) Martianus illius speciei nullam fecit mentionem, sed etiam alterum, quod duobus iis locis, quibus illo adiectivo utitur (p. 193.9: ‚Tandem loquacis terminata paginae'; 343.18: ‚Nam versa in calamos sonat loquaces'), legitimam ei prosodiam tribuit. Notandum vero utroque loco eas adiectivi ‚loquax' formas esse adhibitas, quibus accentus de priore syllaba remotus sit. Itaque Martianum litterae *o* mensuram, quam alias optime novit, non *qu* litterarum, sed accentus gratia immutasse probabile est [2]. — Tertio loco huic generi adscribam vocis ‚neque', quae exstat in his (p. 98.15): ‚Perdita neque unquam cornua fronte ferant', productam syllabam priorem: quanquam huc fortasse quadrant, quae de ‚que' particulae vi ad proxime antecedentia adnotavimus. Ceterum eadem ratione qua hic apud Venantium quoque (I. 19, p. 84 Mign. LXXXVIII.) istam vocem usurpatam reperiri edocemur a L. Muellero p. 314. — Iam vero in alteram partem longam vocalem accentus ob defectum breviatam in nullo verbo apertius perspici censeo quam in eo, quod legitur p. 339.23 ‚flagitaret': nam in hac forma cum Martianus poeta minus politus primae syllabae longitudinem prorsus neglegeret, aliis quibusdam duobus locis (p. 26.8 et 138.15), ubi posita est forma ‚flagitat', iustam primae syllabae mensuram tribuit. — Simili igitur ratione ductus, id quod supra commemoravimus, Martianus videtur vocis ‚cerneres' corripuisse ultimam. — Nec vero inepte hic mentionem fieri existimo adiectivi ‚temulentus' (p. 137.16), cuius syllabam primam etiam ab aliis poetis, veluti a Prudentio (c. Symm. I. 135: ‚Hoc circumsaltante choro temulentus adulter')

---

sumpsisse in eo vocabulo, cuius cum mensura notio quoque immutetur: velut si quis populum cum populo confundere audeat.

[1] Inter ea enim exempla, quibus istam litterarum *qu* potestatem demonstrare Mueller studuit, tribus exceptis nullum exstat, cuius syllaba brevis non producta sit sequente particula ‚que'. Atque huius generis exempla, de quibus paulo infra ipse facit hoc iudicium: ‚Ceterum ex illis exemplis quae encliticam habent sequentem siquis etiam ob accentum inditum et alienis ludibriis produci existimarit syllabam cui adnexast *qu*, equidem haud repugnabo', apparet ad istud Muelleri praeceptum defendendum paene nullius esse momenti. De tribus vero reliquis cum unum sit nomen proprium (‚Aquila'), alterum nostrum illud ‚lōquax', certe tertium (‚nēquire') vix tanti est, ex quo quid poetis vel posterioribus moris fuerit discatur.

[2] De Heinsii sententia, qui corrigendo hunc locum sanare voluit, in secundo capite, ubi iterum de eo agendum erit, verba fient.

esse correptam docet L. Mueller p. 356 (quanquam ignarus huius versus Martianei)[1]. — Similiter repugnare nolim, si quis in versu Adonio hoc (p. 36.6): ‚Mortalibusque' syllabam secundam a Martiano propter ‚que' particulam adiectam et accentum finem versus retractum correptam esse contenderit[2]. Denique nescio an huc referri liceat breviatam in verbo balandi syllabam primam, quam invenimus in hisce (p. 345.4): ‚Pandit saepta balantum'; tamen quae est natura verborum animalium voces imitantium veri haud videtur dissimile Martianum in constituenda huius vocabuli mensura falsum esse.

Ac quoniam sermo incidit in ea vocabula, de quorum mensura Capellam incertum fuisse probabile sit, iam duarum vocum fiat mentio, quarum ille cum ignoraret etymologiam, prosodiam immutavit. E quibus priore loco afferam adiectivum ‚morosus', cuius bis (p. 52.22; 136.22) antepaenultimam corripuit: quod cum eundem in modum L. Mueller p. 364 inf. a Terentiano quoque adhiberi doceat versibus 319: ‚Adsequi quicunque poterit, sed morosa intentio' et 2819: ‚Iam divisio quarta non morosa', libenter huic viro docto assentiemur arguenti grammaticum istum non a moro[3] potius quam a mora illud adiectivum repetiisse. — Altero loco huc referendum censuerim verbum intricandi, cuius itidem bis (p. 245.7 et 255.23) adversus legem prosodiacam correptam videmus syllabam secundam; huius autem verbi etymon, tricas dico, de quibus notissimum illum versum composuit Martialis XIIII. 1,7: ‚Sunt apinae tricaeque et si quid vilius istis', a Martiano neglectum vix est quod miremur, cum praesertim apud ceteros poetas paene nullum eius usum fuisse videamus.

Denique in fine huius capitis adscribantur singulares quaedam cum nominum tum verborum formae, quas cum vix cre-

---

[1] Eadem vero ratione adhibita nescio an his quoque duobus versibus mederi iuvet (p. 32.2,3):

‚Tunc candens tenero glaciatur rore pruina et
Matutina greges quatiunt in pascua caulas'.

De quibus L. Mueller p. 296: ‚Pessime', inquit, ‚habet quod dedit Koppius: ‚Tunc candens' cett. Quibus non stabunt numeri nisi copula ad sequentem versum adsumetur.' Atque ‚et' particula nobis quoque a fine hexametri videtur removenda (similiter e. c. et apud Horatium epist. II. 1,73 et apud Juvenalem XIII. 82 nunc quidem eandem metri asperitatem videmus esse sublatam): tamen eadem ad posteriorem versum assumpta primus hexametri pes constat molosso, nisi si putamus Martiano propter accentus defectum priores duas vocis ‚matutina' syllabas breves visas esse: quae sententia munitur similitudine alterius cuiusdam versiculi, qui exstat in Anthol. Lat. 389.45 *R.*: ‚Sol et Hyperboreo fulget matutinus in ortu'.

[2] Ceterum vide nostrum de eo versu iudicium infra in cap. II.

[3] Anne a more? Cf. Doederlein, Lat. Syn. u. Etym. III. p. 233 seq. (Curtius, Grdz. d. gr. Etym.[4], p. 340 seq.)

dibile sit universas solius metri gratia a Martiano esse adhibitas, tamen hoc loco commemorari iustum videbatur, unde cognosceretur, quibus artificiis Martianus metri difficultates quibusdam locis evitare studuisset. Itaque satis frequenter nomina primae vel secundae declinationis in patrio casu numeri pluralis exeuntia fecit in vetustiorem illam terminationem quae est *um*, veluti in his: ‚deum' p. 1.4; 25.7; 48.15; 49.1; 99.2; 198.5; 339.28; 341.9; 342.17; ‚divum' p. 1.17; 11.3; 13.20; 14.3; 33.14; 37.11; 48.8; 194.8; ‚superum' 10.16; 98.8; 296.1; 298.8; 342.1; ‚virum' 98.18; 195.7; ‚caelicolum' 138.6; ‚omnigenum' 341.9. — Nec vero praetereundae videbantur formae, quales sunt ‚auspicis' p. 26.18 et ‚iurgis' p. 374.24; saepius autem in dandi casu numeri pluralis adhibita est pronominis forma ‚quis' pro ‚quibus'; denique semel admisit nominativi vetustiorem formam ‚labos' p. 35.7. Praeterea afferantur dictiones quaedam minus usitatae; nempe quod legitur p. 137.13 ‚contumias' pro ‚contumelias'; deinde ‚perpes' p. 14.12; 341.27; et ‚impete' pro ‚impetu' p. 341.11. — E verborum declinatione adscribatur, quod semel Martianus usus est forma syncopata ‚farcinat' pro ‚farcinavit' (p. 374.15) nec non altera ‚iusti' pro ‚iussisti' (p. 36.8); saepius reperitur infinitivus generis passivi addita in fine syllaba *er*, ut puta in his: ‚probarier' p. 25.18; ‚iugarier' 26.6; ‚tenerier' 26.16; denique semel legitur forma ‚prodient' (p. 343.2), de qua cf. L. Mueller p. 403, et participium ‚ambitum' more Ovidiano (Met. I. 37; vid. Burmann. ad l.) producta *i* (p. 27.15).

Caput II.

De rationibus Martiano Capellae in pangendis singulis versibus probatis.

Metra, quibus Martianus usus est, omnino numerantur quindecim, quorum simplicia sunt quattuordecim, unum compositum. Habes enim dactylicos versus longos CLXVIII nec non elegiacos κατὰ στίχον XXVIII, porro disticha LV, hexametros subiunctis singulis dimetris iambicis acatalectis XXVIII, denique Adonios XXVII; ex iambico genere inveniuntur dimetri catalectici CLXI (idem versus acatalecti non adhibentur nisi copulati cum hexametris herois viciens octiens), senarii CLVIIII; metro trochaico nullos versus composuit exceptis octonariis binis noviens repetitis; secuntur paroemiaci continui XV; Ionicorum a minore tetrametri XI, dimetri XXIV; hendecasyllabi Phalaecei XXXXIIII; Asclepiadei minores dodecasyllabi LXXXXII, idem hendecasyllabi seu catalectici bini quinquiens repetiti;

denique versus compositi ex dimetro choriambico et Sapphico[1] versu minore X, quod metrum Servius (d. c. m., V. p. 463 *K.*) vocat Sapphicum.

Hoc ex conspectu apparet, quantam metrorum varietatem Martianus assecutus sit, quanquam concedendum inter versus plus octingentos longe maiorem partem obtineri dactylicis numeris atque iambicis. — Nobis vero priore loco agendum videtur de iis metris, quae ut a ceteris poetis ita a Martiano adhibeantur saepissime; post rariora versuum genera examinentur: quo ordine servato facillime intellegi poterit non modo quam in universum Martianus versuum pangendorum artem sibi comparaverit, sed etiam quibus in rebus a reliquorum poetarum usu aut abhorreat aut discedere noluerit. Itaque versus heroos et elegiacos sequentur iambici versus senarii et quaternarii, deinde hendecasyllabi Phalaecei atque Asclepiadei minores; in fine subiungentur ea metra, quibus pauciores versus a Capella compositi exstant.

Hexametri. Hexametros igitur saturae suae immiscuit continuos CLXVIII, quibus efficiuntur carmina X; accedunt metri elegiaci LV nec non pythiambici XXVIII. Quos inter CCLI versus heroos nostra quidem sententia excepto uno (p. 332.4) reperitur nullus, in quo sine aperta causa Martianum metri legibus non satisfecisse arguere liceat; quattuor enim versus eos, qui leguntur p. 48.28; 29; 31; 299.24, a nominum propriorum difficultate excusationem petere in capite primo exposuimus; nec minus quod in versu hoc (p. 194.11): ‚Ἑπτὰς in numeris, prior igni, tertia Luna‘ pes primus constare videatur trochaeo, nominis Graeci fortasse insolentia factum esse supra commemoravimus; quanquam nescio an praestet suspicari vocem ‚heptas‘ vernaculis litteris a Martiano tertio demum loco exaratam et e margine Graecis notis conscriptam perperam in versus caput a librario quodam esse transpositam. — Exstant vero tres versus (p. 48.17 et 32.27 et 255.10), de quibus quispiam secus existimandum esse putaverit: quorum primo Eyssenhardtius librorum, ut videtur, auctoritatem secutus hanc formam constituit: ‚Ut perfecta tibi numerus ratione probetur‘, cum apud Grotium et Koppium legatur ‚Ut tibi perfecta n. r. p.‘ Ubi valde miror, quo ille iure traditam scripturam servari posse censuerit: nam *a* finalem ablativi ne a pessimis quidem poetis unquam corripi esse solitam videmus. Itaque nos quoque codicum auctoritate neglecta eam verborum collocationem, quae Grotio placuit, sane praeferemus. Iam in secundo illo et tertio versu productas, ut diximus, ‚ratione finalitatis‘ syllabas breves sane ferremus[2], nisi ipsorum

---

[1] Ita L. Mueller, de re m. p. 113: significaturus erat, ni fallimur, Aristophaneum.

[2] Cf. L. Mueller p. 331—333. Christ², § 235.

structura de traditis verbis dubitationem moveret. Itaque quod Koppius in versu hoc: ‚Qui caelum stellet fomes et quanta revolvat' loco obiecti, quo carere non possumus, positam esse arbitratur vocem ‚quanta', fomes ille lucem certe caloresque suppeditat, revolvere ex Romanorum quidem hominum sententia nihil potest. Praeterea quod illud ‚quanta' ita accipiat, quasi scriptum esset ‚quot', atque astrorum notionem mente velit suppleri, his artificiis assentiri nequeo; immo ratio versuum, qui antecedunt, nos edocet per totum hunc versiculum de caeli natura quaestionem esse instituendam: desideratur igitur nomen aliquod subiecti loco positum, a quo pendeant verba ‚revolvat caelum'. Quae cum ita sint, equidem ex ‚et' particula rotae nomen eliciendum atque ita legendum esse suspicor: ‚Qui caelum stellet fomes, rota quanta revolvat'.[1] — Tertio denique versiculo huic (p. 255.10): ‚In Veneris agro Pallas sibi vindicat usum' similitudine versuum, qui antecedunt, videtur postulari, ut ipsi quoque enuntiati interrogativi species tribuatur; nam mea quidem opinione sententiarum inter se ea esse debet consecutio, ut exclamatione illa, qua efficitur versus 11., quodammodo transitus fiat ab interrogationibus, quae praecedunt, ad enuntiata recta, quae continentur versibus 12. seqq. Quod vel ideo praestabilius videri potest, ne duo illa enuntiata argumento paene consimilia, quae leguntur versibus 10. et 12., eodem habitu proferantur. Quo concesso nescio an hunc in modum germana Martiani verba restituisse existimemur, cum scribamus: ‚In Venerisne agro Pallas sibi vindicat (an praestet ‚vindicet'?) usum?' — Restat ut de uno illo versiculo (p. 332.4) pauca addamus, quem metri legibus non prorsus satisfacere supra indicavimus; est autem hic: ‚Si erudita placent certe sponsalia divi.' Quem cum nolimus putare hiantem in pede primo, quia tunc etiam in voce ‚erudita' syllabam primam correptam esse iudicandum foret, praeterea cum ne corrigendi quidem neque causam neque facultatem oblatam videamus, statuendum erit trochaeum a Martiano spondei loco in illius versiculi caput admissum esse[2].

His igitur sive excusationibus sive emendationibus probatis atque uno illo versu excepto statuere licebit nusquam a Martiano violatis legibus prosodiacis hexametrorum numeros turbatos esse. Iam vero ut subtiliora quaedam addamus, quae de illorum versuum apud Capellam natura observavimus, incisionem per dodrantem fere eorum partem factam videmus post tertiam arsin, per bessem fere et post tertiam et post quartam (quanquam de huius generis caesuris vix certum iudicium fieri potest); duo-

---

[1] Ad constructionem cf. eiusdem carminis v. 5., ad sensum p. 341.10.

[2] Praeterea isto verbo Martianus in versibus non utitur.

decima vero pars est, in quibus cum hephthemimeri trithemimeres coniungitur; unus versus hic: ‚Turbati expavere dei vulgusque minorum‘ (p. 138.5) nactus est caesuram trochaicam tertiam coniunctam cum hephthemimeri, quo incisionum genere plerosque magna cum cautione usos esse affirmat L. Mueller p. 202. — At qui omnino caesura careat nullum versum longum apud Martianum inveniri rectissime ante nos observavit idem vir doctissimus p. 195. — Nec vero in reliquis observantiis de tritiore via secessit Martianus; veluti quod paucorum tantummodo versuum [1] quattuor priores pedes fecit spondiacos: item sunt pauci [2], quorum quinque pedes explentur dactylis: spondeum vero nunquam in pedem quintum admisit. Nam versus hic (p. 48.27): ‚Vel quia dissolvis nocturna admissa, Iseum‘, de cuius integritate iam supra dubitationem iniecimus, ex nostra quidem sententia manifestissima corruptela vitiatus est. Primum enim nemo non sentit, quam molesti sint quinque spondei; deinde adiectivum ab Isidis nomine derivatum audit ‚Isiacus‘, cum ‚Iseus‘ nisi ad significandum nomen templi in usu non fuerit; denique bene iam Grotius iudicavit ultimum huius versus vocabulum ab iis quae antecedunt non esse seiungendum: quanquam quod hic proposuit ‚Lyaeum‘ laudare nolim. Immo inde, quod ‚Phoebum‘ Martianus modo Apollinem vocavit, colligo in hoc quoque versu alterum quoddam Graecum cognomen exstitisse. Itaque pro eo, quod nunc legitur ‚Isaeum‘, exaratum fuisse arbitror ‚LICEVM‘, i. e. ‚Lyceum‘ [3]: quod ad antecedentia referendum esse per se apparet.

Elegantioribus illis observantiis, quas de versuum dactylicorum singulis pedibus contulit L. Mueller operis sui libro II., in quarti vel quinti saeculi poeta eadem qua ille fecit cum diligentia operam dare nolui. Tamen quod eius generis nihilo minus nunc quidem pauca profero, non tam eo fit consilio, quasi ipsum eiusmodi elegantiis studuisse opiner, sed quo clarius perspiciatur, quam penitus vel illis temporibus optimorum poetarum usus scriptorum auribus inhaeserit. — Itaque a secundo et tertio pede absunt vocabula non solum spondiaca sed etiam dactylica (vid. L. Mueller p. 217). In fine versuum longe saepissime reperiuntur voces trochaicae vel spondiacae: quarum paucis (p. 10.4; 27.12; 49.3; 138.3; 254.1) praemissa sunt monosyllaba. Rariores

---

[1] p. 10.13; 48.10; 16; 49.3; 138.17; 254.21; 299.23; 32.21; 27; 64.8; 14; 198.9.

[2] p. 10.9; 18; 194.16; 24; 255.14; 299.20; 245.12; 337.9.

[3] De Apolline *Λυκαίῳ* vel potius *Λυκείῳ* cf. Welcker, Griech. Götterl. I. 476, 479; Pauly, R.-E. I. p. 1257, et prae ceteris Macrob. I. 17, 36—41, ubi de illius nominis cum forma nativa ‚*ΛΥΚ*, LVC‘ cognatione plura produntur.

sunt versus, quorum extremum vocabulum aequat amphibrachum sive bacchium; duo tantummodo versus exeunt in bina vocabula monosyllaba (p. 10.14; 255.9), unus (194.8) in monosyllabum Graecum praeeunte iambo. Ex iis denique versibus, qui terminantur vocabulis plus tribus syllabis constantibus, alter (p. 48.18) Graeco, proprio nomine alter (p. 1.17; cf. L. Mueller p. 212 s.) defenditur; tertius versus (p. 195.8). quem rhopalicum ante L. Muellerum (p. 462) iam observavit Barthius, sua ipsius indole vocem quinque syllabis effectam desiderabat.

His igitur de hexametrorum compositione observantiis fundamentum quodammodo iactum existimaverim, quo nisis diiudicare nobis liceat. quale fere de Martiani in componendis ceteris quoque versibus iudicium ferendum sit. Carmina enim hoc metro vel scholasticis scribisque praeter cetera cognito composita eo tutiora fuerunt ab illorum neglegentia libidinibusque, quo facilius perspicere potuerunt, si quid exarassent, quod metri legibus repugnaret: contra vix putabimus ab illis menda ipsius fortasse Martiani incuria commissa sublata esse. Quanquam inde haudquaquam concludi poterit eum eadem diligentia in reliquis quoque versibus pangendis usum esse, quippe quem ipsum sit veri simillimum huius metri accuratius quam reliquorum praecepta novisse. Respiciendum tamen, ut hoc nunc statim praemoneamus, inveniri in hoc opere carmina difficilioribus numeris, quales sunt hendecasyllabi, paroemiaci, Adonii. composita eademque omni artis laude digna.

Pentametri. Iam vero ut ad sequentia transeamus, in expoliendis pentametris dactylicis statim apparebit Martianum paulo maiore libertate usum esse. Ac primum quidem unum carmen (p. 339) in opere eius reperitur continuatis pentametris dactylicis compositum: quo poesis genere qui sit usus non habere se affirmat L. Mueller p. 105 nisi ultimae aetatis auctores Ausonium et Martianum, qui, ut ipsius verbis utar, venustatum metricarum haud sane ampli fuere iudices. Ac sane ne nos quidem praeterea qui continuarit versus elegiacos quenquam invenimus: nam ne Terentianus quidem operi suo complures pentametros continuatos inseruit. Quam carminis speciem quo consilio Martianus sibi elegerit nunc quidem nostrum non est disquirere; certe hoc fugere neminem poterit, nullo versu continuato tantum legentium moveri fastidium quantum eo. qui iam per se constat binis versiculi partibus fere consimilibus geminatis. — Sed ut iam pentametrorum Martianeorum leges accuratius cognoscamus, ea omnes cum cura sunt compositi, ut et incisionem iusto loco factam et posterioris versiculi partis integritatem ubique servatam videamus.

Exstant autem pauci versus, quorum singulae voces metricae

severitati videantur adversari: e quibus primo loco iterum nominandus est, qui legitur p. 339.23: ‚Tempsere, extremam cum flagitaret opem'; nec non alter hic (p. 198.1): ‚Cerneres ex auro ut sacra flamma micat'; in his quid de ‚flagitaret' et ‚cerneres' verbis iudicandum videatur supra exposuimus, ubi de accentus ad immutandas vocalium quantitates vi disputatum est. Aliter res se habet in versibus hisce:

(p. 331.19) ‚Nec Stimula intenso allicit aculeo';

(p. 98.9) ‚Advehit et scholicum praestruit axioma';

quorum quae extremo loco leguntur voces ‚aculeo' et ‚axioma' a metro dactylico omnino fuissent retinendae, nisi hunc in modum Martianus pro paeonis tertii et ditrochaei forma cum choriambicis eas pedibus adaequasset. — Item Archimedis nomen, quod reperitur in hisce: ‚Archimedea astrificante manu' (p. 198.7), iis adnumerandum esse vidimus, quorum mensura metri causa a poeta paulum immutata sit. Iam vero alia est condicio huius versiculi (p. 197.25): ‚Interrivata marmore tellus erat': quem non una de causa a Martiano videri abiudicandum iam supra indicavimus. Primum enim offendimur in vocis ‚interrivata' producta ultima: deinde in correpta syllaba posteriore vocabuli ‚tellus': denique vel propter sententiam totius loci summa de traditarum litterarum integritate dubitatio movetur. Tellus enim, ut eam quam posteriore loco significavimus difficultatem statim absolvamus, in hac carminis parte primum nominatur ineunte hexametro quarto; tunc eadem demonstratur quinto hexametro pronomine ‚hanc' nec non sexto pronomine ‚quae': aliter enim haec pronomina ex ipsa verborum compositione referri non possunt. Quae cum ita sint, nomen telluris, quod legitur p. 197.25, omnino abundat eoque magis, quoniam pronomine ‚illa' eandem tellurem significari apparet. Itaque istam vocem librariorum errore nescio quo perperam in hunc versum illatam esse existimo. Huc cum addamus scrupulos laesa metri integritate iniectos iam neminem puto esse dubitaturum quin hic versus gravius quoddam mendum in se contineat. Ergo non possum assentiri Muellero vocem ‚tellus' in earum numerum referenti, quarum finales a Paulino inde coeptae essent imminui (de re m. p. 342): quod cum nullo nisi incertissimo hoc Martiani loco firmetur, omni fere probabilitatis specie destituitur. Videamus igitur, quid ratio sibi postulet: tellurem, quae ‚medio haeret ima loco', complectitur aër; simul eadem cingitur ‚immenso profundo marmore': itaque medium inter aërem et tellurem interpositum est mare[1]. Iam si hanc sententiam ad

[1] Hanc esse communem veterum poetarum de elementorum distributione sententiam satis notum; ceterum cf. Lucr. V. 495 seqq. Ovid. Met. I. 26 seqq.

nostra verba accommodare velimus, primum necesse est de vocis ‚interrivatus' notione accuratius inquiramus. Illa enim interpretatione lexicographis probata, quae est ‚inter duo loca derivatus', ad huius loci explicationem certe nihil proficitur; rectius videtur, quod Vulcanius Martiani interpres proposuit ‚interstinctus'. Nobis poeta vocabulo alioqui vix usitato nihil videtur exprimere voluisse nisi hoc, ut eandem significationem, quae inest in verbo intercludendi, copularet cum notione aquae seu poetice rivi interclusionem illam efficientis: unde oriebatur quasi monstrum ‚interrivatus'. Itaque a tellure aër interrivatus est marmore: quod cum traditis verbis ita aptare conemur, ut simul lacunam remota voce ‚tellus' ortam explere studeamus, nescio an hunc in modum metro simul ac sententiae satisfacere possimus, ut scribamus:

‚Quem tamen immenso, quo cingitur illa, profundo
Interrivatum marmore cernere erat'.

In his tellurem esse, a qua aër intercluditur, facillime ex reliquis suppletur: cernendi autem verbum commendatur ea re, quod poeta Geometriam ipsam induxit sphaeram illam manibus tenentem; locutionem vero quae est ‚cernere erat' apud Martianum reperies v. c. p. 39.17.[1]

Iam vero praeter eos, qui nominati sunt, nullum versum invenimus, quin dactylici numeri legibus respondeat. At in sex versibus (p. 197.21; 198.1; 7; 9; 331.13; 19) Martianus sibi permisit hiatum[2], ita quidem, ut bis *a* vocalem excipiat altera *a*, item bis *o* vocalem altera *o*, semel vero inter se concurrant *o* et *u*, semel *o* et *hae:* hos certe mirum omnes cadere in duo carmina continentia pentametros XXVII, cum in reliquis quinque carminum versibus LVI nullum id genus vitium reperiatur. Unde nescio an iure cuipiam de librariorum in exarandis duobus illis carminibus maiore neglegentia cogitare liceat: quanquam id agere nolim, ut omnino a Martiani arte pentametros in caesura hiantes abiudicem, quem mox videbimus ne in senariorum quidem incisionibus hiatu omnino abstinuisse.[3] — De productis

[1] Cf. Verg. Aen. VI. 596; VIII. 676 al.

[2] Apud grammaticos cum saepius (Diom. p. 502/3. Victorin. III. 5, p. 112.20 seqq. Terent. M. 1777 seqq. *K.*) verba fiant de versibus elegiacis in binas particulas dirimendis, de admittendo in caesura hiatu nusquam quidquam praecipitur.

[3] In universum conferantur, quae de admittendo in arsi hiatu contulit L. Mueller p. 309—312; cuius quam frequens fuerit paucis iam post Martianum annis usus edocebimur collatis pentametris iis, quos ut hiatu in arsi praeditos exscripsi ex florilegio codicis Salmasiensis, quod ortum esse affirmat A. Riesius circa medium fere p. Chr. n. saeculum V.; versus sunt hi: 107.6; 8; 109.6; 113.2; 126.4; 135.2; 142.2; 154.2; 169.2; 170.2; 176.4; 197.12; 222.2; 362.2. Quae cum ita sint, ne ipse quidem hiatum omnino tollendum nec vero hanc ob causam p. 197.21 Heinsii nec Vonckii coniecturam p. 331.13

denique in caesura syllabis finalibus (p. 339.5; 14) superiore loco (cap. I. p. 6/7.) actum est.

Senarii iambici. Iam priusquam aggrediamur ad recensendos iambicos senarios, unum hoc praefari liceat, carmen totius operis extremum ut plurimis erroribus vitiatum nos nunc quidem a ceterorum grege esse secreturos. Interim satis habemus monuisse e locis XXV, quibus severiores senariorum leges Martianum ueglexiss eobservavimus. XIII (vel XIIII) istius carminis circuitu contineri. — In reliquis igitur versibus notandum numeros iambicos a Martiano nunquam esse violatos; nam vocem ‚trigonus‘ in his (p. 33.19): ‚Trigonus recurvet circulusve torqueat‘ anapaesti numerum aequare iam priore loco probavimus.

In constituendis vero sedibus paribus eam normam Martianus secutus est, ut in secundo pede (secundum Eyssenhardtii quidem editionem) bis positus legatur spondeus (p. 52.22; 136.28). semel tribrachys (p. 13.21), item in pede quarto quater spondeus (p. 33.13; 136.22; 23; 343.2), bis tribrachys (p. 14.11; 137.3). At ex his locis primum nullius momenti esse puto eos, quibus conficitur spondeus prioribus duabus syllabis vocis ‚morosus‘ (p. 52.22; 136.22) nec non alterius ‚ignotus‘ (p. 136.23): de quibus quid iudicandum sit supra exposuimus. Item duos versus hos: (p. 136.28) ‚Pellax soritas cumque sensim congeris‘;

(p. 343.2) ‚Fidibusque iuncta fescennina prodient‘

ab eius vocabuli, quo spondeus continetur, singulari natura utrumque habere excusationem supra vidimus. — Ex his quoniam apparet Martianum in sedibus paribus pro iambo non substituisse spondeum nisi certa quadam ratione excusatum, ne ultimo quidem qui superest loco ista eum licentia usum esse probabile videtur. Nam in versibus his, qui leguntur p. 33.13 seqq. et quorum in codicibus haec est forma:

‚Tandem laboris fructus aethram fulgidam
Divumque sedes ac Iovis consortia
Provecta carpis‘ et quae sec.,

---

recipiendam habeo. Tamen carminis, quod legitur p. 197 seq., disticha VIIII., XII., XIII., quorum simul hiantes pentametros notavi, temperare mihi vix possum, quin ut interpolata eicienda esse existimem: quibus remotis vide sis quam non modo non perturbetur totius carminis concinnitas, sed paene augeatur. Nam ineunte disticho X. (p. 198.2) ‚sic‘ particula in ‚hinc‘ commutata apparet hi versus quam arte cohaereant cum iis, qui leguntur p. 197.28 seq. In extremis vero duobus distichis, quae commemorandi Archimedis globi gratia a scholastico quodam addita censuerim, praeter cetera displicent verba ‚mundo assimilem‘ ex huius carminis versu IIII. repetita, nec minus astrificandi verbum ab adiectivo ‚astrificus‘, quod exstat p. 197.27, derivatum. Sed in hac re videant doctiores, ne forte emendandi studio longius provecti iustum modum excesserimus.

Eyssenhardtius lenissima sane correctura ‚ac' in ‚ad' mutato locum in integrum sibi restituisse visus est. Qua in re me non prorsus habet assentientem: verba enim ‚Iovis consortia' ab iis quae antecedunt minime separanda esse existimo. Servata igitur in secundo versu particula ‚ac', in priore ante ‚aethram' praepositionem ‚ad' excidisse atque ‚fructum' pro ‚fructus' scriptum fuisse arbitror; itaque illo versu ad hanc formam redacto: ‚Tandem laboris fructum ad aethram fulgidam' apparet Martianum ne semel quidem legem, quae est de spondeo versuum senariorum sedibus paribus non admittendo, sine iusta causa violasse. — Tribrachum ter non saepius eodem loco positum invenies (p. 13.21; 14.11; 137.3): ubi semel factum est, ut paenultima brevis acuta sit in hoc versu (p. 137.3): ‚Fies profecto decipula si astruxeris'; et ad hanc vocem non minus quam ad eas, quae leguntur ineuntibus versiculis p. 193.15 (‚Didítaque'); p. 256.1 (‚Lilíaque'); p. 374.11 (‚Satúra'), referendum videtur illud, quod L. Mueller p. 154 commemorat haud sane frequenter eam licentiam admisisse Martianum, cum ceteros fere plerosque poetas eadem doceat abstinuisse. — A reliquis pedibus tribrachys omnino abest. — Invenitur autem praeterea soluta arsi ter dactylus pede primo (p. 14.1; 193.15; 342.16), bis tertio (p. 33.21; 75.11), deinde rescissa thesi anapaestus in universum duodeciens: quarum solutionum una, quae cadit in pedem quintum (p. 75.13), satis excusatur nomine ut ita dicam technico eodemque Graeco in versu hoc: ‚Vulgoque docti quae Anomala nominant'; ceterae, quibus adnumerandam esse supra demonstravimus eam, a qua incipit versus p. 33.19, primo pede omnes continentur (p. 13.23; 14.5; 7; 52.23; 53.4; 136.31; 137.5; 342.15; 25; 343.2).

Sicuti vero in his rebus summa moderatione Martianus usus est, ita in reliquis quoque observantiis eum vix minus diligentem agnoscemus. Itaque incisionem nusquam non adhibuit post semipedem quintum, id quod ante Petersenum (l. l. p. 75 inf.) recte iam videtur observasse L. Mueller p. 203 inf. — Contra hiatus usum in horum versuum caesuris immerito in dubitationem vocatum esse censuerim a summo Ritschelio (l. l.), id quod sub finem disputationis saepius iam laudatae bene monuit Petersenus (p. 75 seq.). Itaque cum hic undecim, novem ille versus numeraverit hiatu in caesura post tertii pedis thesin insignitos, equidem inter decem[1] eius generis versus, quos conquisivi, nullum me invenisse fateor, in quem librariorum fortasse

[1] Novem locis Ritschelii hisce: p. 13.15; 33.20; 52.32; 75.11; 16; 193.17; 342.24; 29; 375.4 cum Peterseno addam unum p. 53.4; contra cum Ritschelio recipiendam sentio coniecturam ab Eyssenhardtio in contextum versus p. 342.23 illatam, qua nos nullo pacto egere posse persuasum habeo.

incuria hiatum illatum esse censerem. Martianum vero hiatu in caesura admittendo nullius ut ita dicam delicti sibi fuisse conscium nescio an ea ex re concludi possit, quia primum statim versum eius carminis, quod omnium primum iambico metro composuit, fecit hiantem. Hoc enim rerum natura praeceptum esse arbitror, si aliquo loco de numerorum integritate poetae curare soleant, primos esse singulorum carminum versus, in quibus pangendis summam pro suis quisque facultatibus diligentiam adhibeant. — Hac igitur in re fatendum est Martianum ea usum esse licentia, in qua cuius auctoritatem secutus sit ex iis quidem carminibus, quorum ad nostram aetatem notitia pervenit, diiudicari non potest.

In tuendis denique exeuntium senariorum observantiis Martianum cum Horatio Vergilio, Petronio Martiale aliis severiores leges obtinuisse iam adnotavit L. Mueller p. 228. Quibus vix esset quod adderemus, nisi pugnare liberet cum Peterseno, qui l. l. p. 57 sanaturus versum p. 193.20, cuius in libris *Rb* hae litterae sunt traditae: ‚At tu reclamans rhetorum *scarum (omisit *B*) tuba‘ reiectis verbis ‚turbam tuba‘ ab Halmio propositis ‚chorum tuba‘ scribi voluit. Quod enim chori voce recepta versus duobus iambicis vocabulis claudatur, ea re moveri se negat, etiamsi alius eiusmodi senarius apud Capellam non reperiatur. ‚Casum enim‘, inquit, ‚eius rei causam esse credibile est‘. Quod Peterseni inventum laudare nequeo: qui dum in promptu erant, quibus vocabulis receptis versus legibus satisfacere liceret, propter unam litterarum inter se similitudinem migrare istam normam non debebat. Itaque aut in Halmii coniectura acquiescendum aut alia quaedam vox spondiaca substituenda erat; ego vero cum ne ipse quidem perspiciam, qui ex voce ‚turbam‘ istud ‚scarum‘ ortum esse putandum sit, nec ‚turbam‘ nec ‚chorum‘ sed ‚scaenam‘ exaratum fuisse arbitror.[1]

Iam ut ea, quae de Martiani in componendis senariis iambicis rationibus observavimus, in unum complectamur, in universum apparet eum omnino abstinuisse licentiis non solum scaenicis poetis sed etiam Phaedro usitatis. Excepta enim ea re, quod in caesura saepius adhibuit hiatum, liberioribus eorum consuetudinibus nunquam obsecutus est.

Quo magis tamen mirabimur eum in uno carmine totius operis extremo, cuius in antecedentibus certa de causa nullam omnino mentionem fecimus, tam saepe istas severiorum poetarum normas migrasse, quam paene in ceteris omnibus senariis iam-

[1] Simillimus est locus Taciti in Dial. c. 35 init.: ‚At nunc adulescentuli nostri deducuntur in scaenas scholasticorum, qui rhetores vocantur‘.

bicis non factum est. Notandum enim inter XXVII versus, quibus illud carmen constat, reperiri XI (p. 374.14; 15; 19; 21; 23; 24; 375.1; 3; 4; 9; 11), qui ratis pedibus non stent. Quae erratorum frequentia sane dubitari poterit num iure ipsius Martiani incuriae imputetur. Itaque rei criticae arbiter egregius Ritschelius verbis ineunte hac disputatiuncula allatis iure improbavit sententiam eorum, qui singulis codicum apicibus nimium fisi poetam ceteroquin haud ita incultum in hoc uno carmine leges prosodiacas prorsus nihili habuisse existimarent: quanquam concesserim Capellam in his versibus, quibus se ipsum quodammodo inducit cum filio sermocinantem, maiorem scaenicorum poetarum licentiam esse imitatum. Tamen ultra hos fines, etiamsi suspicemur eum ad hoc carmen ut ad omnium novissimum extremam, ut ita dicam, limam nondum adhibuisse, nulla eius arti tribuemus vitia, quibus omnem singulorum versuum compositionem videamus perturbari: eiusmodi locos scribarum potius neglegentiae malaeque fortunae librorum extremis paginis plerumque minanti iniungemus. Cuius generis corruptelarum exemplo sunt versus paginae 375 priores tres, qui quam turpi infortunio vexati sint in promptu est. — Sed ut ex ordine singulorum versuum proprietates examinemus, primum non iam offendemur spondeis paribus sedibus positis in versibus hisce: (374.14) ‚Haec quippe loquax docta indoctis adgerens‘:[1] (374.21) ‚Possemque comis utque e Martis curia‘; (375.9) ‚Decente quando possem haurire poculo‘: (375.11) ‚Secute nugis nate ignosce lectitans‘: quanquam de hoc extremo versiculo vel aliter iudicari posse supra adnotavimus. — Iam vero de spondiacis secundis vel quartis pedibus versuum horum:

(p. 374.23) ‚Indocta rabidum quem videre saecula‘
(p. 375.1) ‚Proconsulari *vero dantem culmini‘
(p. 375.3) ‚Decerptum falce iam canescenti rota‘

quid censendum sit equidem dicere non habeo. Nam corruptos esse versus p. 375.1—3 modo indicavimus; item de scriptura versiculi p. 374.23 dubitare licet. Quibus emendandis quamvis multam operam impenderim, tamen huius loci sanationem deficiente paene omni de Capellae vita notitia desperans in re incerta abstinere vana coniciendi libidine atque ea tantummodo promere statui, quae in recensendis illis verbis praeter cetera observanda putaverim. Primum igitur suspectum est verbum

---

[1] Ita enim, non ‚adgerans‘, nobis quoque cum Ritschelio videtur scribendum; nam Eyssenhardtius si forte nitatur iis, quae leguntur lib. III. § 250 (p. 67.29), vellem meminisset quam paene nulla sit codicum auctoritas in diiudicandis scripturis syllabarum finalium; itaque isto quoque loco ‚aggerit‘ restituendum censeo. Ceterum formam legitimam, quae est ‚aggerans‘, habes p. 34.11.

,videre' temporis perfecti, quod dicunt, forma positum: quo servato opinaremur Martianum eo tempore, quo hoc ultimum carmen ortum est, causidici munere non iam esse functum. Tamen cum ex iis, quae leguntur lib. VI. § 577 (cf. Eyssenh. praef. p. V seq.), veri fiat simillimum eum per id tempus, quo totam hanc saturam composuit, forensibus negotiis fuisse occupatum, simul apparet, si retinere velimus formam temporis perfecti, videndi verbum commutandum esse cum alio quodam, quod neque illi sententiae obsit neque repugnet formae ,videt', quae legitur p. 375.4 in his: ,Beata alumnum urbs Elissae quem videt'. — Deinde quod ad verba ,Proconsulari *vero dantem culmini' Eyssenhardtius iudicavit Koppium ad sensum recte coniecisse ,perorantem', re vera non video, quomodo ille haec verba velit accipi; nam id, quod Koppius ipse ex iis subaudiendum esse censuit, cum diceret: ,Sensus patet Martianum apud Proconsulem Africae causas egisse' in perorandi verbo cum illo dativo coniuncto certe non inest. Mea sententia dubium esse non potest, quin ad ipsum Martianum illud proconsulare culmen aliqua ratione pertinuerit: aliter enim nulla omnino causa fuisset, cur eius hoc loco mentio fieret; quanquam cuiusmodi necessitudo cum proconsule Capellae fuerit dicere non habeo. — E duobus versibus insequentibus ne ipsi quidem Eyssenhardtio contigisse arbitror ut bonum sensum eliceret; bombitandi enim verbum cum de apibus usurpari soleat, non liquet quo pacto dicatur bombitare flosculum. Nec vero proximi versus verba, quae sunt ,canescenti rota', iustam explicationem admittunt; nam quod Eyssenhardtius cum Vulcanio, qui ista verba reddidit hisce ,senescente aetate', temporis rotam respiciendam putavit, hoc audacius quam verius videtur excogitatum. Praeterea quaeritur quo referatur participium illud ,decerptum', quod ut de ipso Martiano dictum accipiamus ipsius verbi ratio non patitur; denique ne illud quidem patet, quid Martianum movisse censeamus, ut hoc potissimum loco participii casum auferendi in *i* exeuntem faceret, cum reliquis omnibus locis huius similibus legitima finali *e* usus sit.[1] — Sed haec hactenus: addenda sunt pauca de reliquis huius carminis versibus iis, quorum verba cum numeris non prorsus conveniant. Itaque quater nunc quidem breves syllabae leguntur productae: e quibus vocis ,chlamyde' (p. 374.19) syllaba prima qua ratione excusari posset satis luculenter demonstratum esse vidimus a L. Muellero p. 356.[2] Porro Martianus produxit eandem syllabam nominis ,blateratus' p. 374.24, quam ab eodem videmus recta

---

[1] Cf. e. gr. p. 33.3; 6; 18; 29; 375.(2); 7; 9.

[2] An sunt qui legere malint: ,Turgensque felle ac bile multâ clamitat'? Codex enim *B* habet ,clamitae', *R* ,clamytae.'

mensura adhibitam p. 137.17 in his: ‚Ioca passim blaterantem' cett.; tamen de huius vocabuli admodum rari prosodia poetae alii aliter videntur sensisse. Horatius enim cum comicorum[1], ni fallimur, exemplum secutus istam syllabam corripuisset (Satt. II. 7.35: ‚... ecquis Audit cum magno blateras clamore' et quae sec.), Prudentius (*π. στεφ.* X. 913: ‚Nil in deorum blateraret dedecus') cumque eo auctor carminis ‚de philomela' (Anth. Lat. Ries. 762.56: ‚Blatterat hinc aries et pia balat ovis') eandem vocalem produxerunt. Itaque cum huius vocabuli, quod *ὀνοματοποιητικόν* Graeco nomine significare liceat, prosodia posteriorum poetarum compluribus videatur ambigua fuisse, in hoc Martiani usu vix erit quod nos offendat. — Iam vero de eo versu, quem summo iam Ritschelio praeter ceteros displicuisse vidimus (p. 374.14: ‚Haec quippe loquax docta indoctis adgerens'), quoniam in priore capite (p. 10/11.) satis copiose disputatum est, superest ut quaeramus, num forte corrigendo ei opitulari praestet. Itaque Heinsius cum in Burmanni Ovidio I. p. 90 seq. scribendum proposuerit aut ‚dicta' aut ‚linguax', me quidem ex neutra parte habet assentientem; nam alteram coniecturam cum per se pateat ad huius loci concinnitatem minime quadrare, alteram propterea reiciendam existimo, quia nolim coniciendo in contextum eam vocem inferri, quae num auribus Romanis omnino fuerit exaudita iure dubitatur.[2] Quare siquis neglecta ratione nobis probata aliud quoddam adiectivum requirat in locum eius, quod nunc legitur, substituendum, viderit num forte ‚nugax' aliquos probabilitatis numeros habeat. — De producta denique verbi ‚farcinat' (p. 374.15) syllaba extrema priore loco actum est.

D i m e t r i i a m b i c i c a t a l. Iam vero ut transitus fiat ad eos, quos quarto loco nominavi dimetros iambicos catalecticos, improbandam censeo sententiam Koppii, qui ad editionis suae lib. II. § 126 (p. 178) Monacensium glossarum Basileensisque auctoritatem secutus metrum illud dicit ‚Anacreonticum sive Iambicum dimetrum catalectum cum anacrusi interdum anapaestica'. Anacreontici n o m e n propterea huic metro concedere nolim, quia, id quod ipse vidit Koppius, promiscue in horum versuum pedem primum admissi sunt et iambi et spondei et anapaesti. Itaque quamvis recte observaverit summus Godofr. Hermannus (elem. doctr. metr. II. 39, 3. p. 475) duo esse diversa versus Anacreontei genera, unum, quod iambicam, alterum, quod anapaesticam habeat anacrusin, tamen minime neglegendum erat, quod simul de eorum usu praecepit nusquam ea uno in carmine

---

[1] Vid. Nonium II. p. 78/9: Caecil. 66; Afran. 13; 194/5. *Ribb.*

[2] Quanquam M. Hertzius eo loco, quo ista dubitatio moveri solebat (Gell. I. 15.20 extr.), ‚linguaces' pro Gronovii illo ‚lingulacas' supposuit.

ita confundi, anacrusin promiscue ut modo ex duabus, modo ex una brevi factam videamus. Quam viri doctissimi observationem cum non minus ad ipsa Graecorum carmina Anacreontea videamus pertinere quam ad Romanorum, Laevii[1], Petronii[2], Terentiani[3], Claudiani[4], Luxorii[5], Boethii[6], denique Publilii Optatiani[7] Prosperique, cui plerumque adscribitur, Aquitani[8], quotquot poematia illo metro composita nunc exstant, in Martiani versiculis eandem legem videmus esse migratam: quod idem cadit in Prudentii hymnum libri, qui vocatur Cathemerinon, sextum, cuius inter versus CLII reperiuntur quattuor, quorum primi pedes efficiuntur meris iambis, cum ceteri plerique incipiant a spondeis, pauciores ab anapaestis.[9] Itaque licet Christius (Metrik², p. 355) contendat duas numerorum species has ⏓ — ⏑ — ⏑ — — et alteram ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — — proprie eundem prae se ferre rhythmum, tamen propter id ipsum, quod duo illa versuum genera in carminibus iure Anacreonteorum nomine praeditis nunquam inter se confundi soleant, non Anacreonteos sed dimetros iambicos catalecticos Prudentii aeque ac Martiani versiculos vocaverim. Ceterum utrum cogitarint duo illi poetae de componendis versibus Anacreonteis necne diiudicari vix potest: nam inde, quod et hymni illius christiani et Thaliae cantici uterque versiculus primus principium sumit a mero pede iambico, nescio an nihil certi concludere liceat. — Sunt autem in Martiani carminibus versus, quorum pedes primi constant iambis, hi: (p. 36.18) ‚Beata virgo tantis'; (54.3) ‚Voluminum sequentum'; (54.5) ‚Ad haec iocante rictu'; (54.17) ‚Asomato in profatu'; denique qui legitur p. 256.3: ‚Ferat pudore morsum', de quo posthac iterum tractandum est. — Iam vero conferamus, quae praeterea in his versibus primorum pedum observantiae apud

---

[1] Frgg. 5; 13; 19 ap. L. Mueller. in edit. Catull. MDCCCLXXIV.

[2] Cuius versus servavit Terentianus Maurus (2493—96) hosce:
‚Memphitides puellae Sacris deum paratae.
Tinctus colore noctis Manu puer loquaci'; deinde
(2862—65) ‚Triplici vides ut ortu Triviae rotetur ignis,
Volucrique Phoebus axe Rapidum pererret orbem'.
Cf. et Mar. Victor. p. 138.24 seqq. *K.* (VI); Serv. d. c. m., p. 458.10 seq. *K.* (IV).

[3] Terent. Maur. vers. 2483—2513. *K.*

[4] II (XII). Carmen fescenn. ed. Jeep.

[5] Anth. Lat. *R.* 298; 309.

[6] De consol. III. 7; II. 4 ed. Peiper.

[7] Wernsdorf, poet. Lat. min. II. p. 405.

[8] Ibid. III. p. 413.

[9] De Seneca quid iudicetur incertum est: qui inter versus XXX (Med. 849—878 ed. Leo) unum (871) incohantem fecit ab iambo, cum ceteri habeant anacruses sive spondiacas sive anapaesticas; Peiper vero in edit. istud metrum ipse quoque vocavit ‚dimetrum catalect. sive anacreont.'; praeterea cf. Leo, Sen. tragg. I. 136 seq.

Martianum obtinuerint. Itaque inter CLXI illius generis versus praeter quinque eos, quos modo nominavimus, ab anapaestis incipiunt XXXXVIIII, CII a spondeis, III a creticis (p. 298.25; 27; 343.27), singuli a dactylo (p. 256.1) et tribracho (p. 298.2). Tamen in hac computatione, quae nititur in editione Eyssenhardtiana, vereor ut consistere liceat. Veluti duobus versibus his: (p. 298.25) ‚Uvidumque quadrimembrem' et (p. 298.27) ‚Utribus parem reportat' cum dimetrorum trochaicorum numeri expleantur, eiusmodi licentiam ne Martianum quidem sibi permisisse arbitrabimur.[1] Videamus igitur, qua ratione istam difficultatem possimus evitare. Et in priore illo versiculo etiamsi adiectivum ‚uvidus' totius loci sententiae optime respondeat (commemoratur enim paulo antea ‚umentis crapulae exsudatio'), tamen, cum ne propter accentus quidem defectum vel eius similem ob causam opinari liceat Capellam istius vocabuli prosodiam immutasse, alterum quoddam substituendum censeo veluti ‚tumidum': quod adiectivum summo opere commendatur similitudine versiculi paulo praecedentis (p. 298.19), quo ‚turgentem senectutem' poeta eundem Silenum nuncupavit; praeterea qui ‚utribus par' reportatur, certe aptissime audit ‚tumidus'.[2] — Extremi vero huius carminis versiculi pedem primum non tam pro cretico existimandum esse quam pro anapaesto supra nobis videmur probasse. — Iam tertio versiculo eorum, qui a cretico principium sumere videantur, cum sententiarum quoque conexus vehementer perturbetur, maiorem totius carminis particulam (p. 343.23—28) infra adscribamus:

‚Puer ipse versiformis
Arcusque dulcinerves
Feriato liquit arcu
Fidibus studet Cupido,
Roseo ligans ramali
Calamos parante Musa'.

E quibus qua ratione aptum sensum Eyssenhardtius elici posse censeret velim adscripsisset; nam ut singula verba aliquo modo inter se construere conemur, quid faciendum sit hisce: ‚Cupido ligans arcus dulcinerves roseo ramali liquit arcu feriato' ne doctiores quidem puto esse perspecturos. Sed praeter sententiae obscuritatem violatamque primi pedis legem metricam ne secundo quidem pedi syllabae traditae sufficiunt; deinde summam suspicionem movet bis posita vox ‚arcus' eoque magis, quoniam in ea ne codicum quidem auctoritas praesidio est (nam quod nunc legitur ‚arcu', exstat in sola ed. Vicent.; contra ‚arcū' habet *D*, *BR* ‚actu'); denique desideratur nomen, quod obiecti loco con-

---

[1] Hoc enim pro certo affirmare liceat, nusquam a Martiano duo versuum genera in eodem carmine inter se esse confusa.

[2] Notandum fortasse vel hoc, in constituenda illius versiculi voce prima *R* codicis auctoritate nos esse destitutos.

iungatur cum verbo linquendi. Itaque hoc non mihi soli spero fore persuasum vocem ,arcu' deberi librarii cuiusdam errori: pro qua substituendum ratus ,arma', in hac versus forma ,Feriata liquit arma', acquiescere nobis licere censeo. Nam qui totius loci est tenor, participio illo ,feriata' carere non possumus; sed ne versiculi quidem leges, cum non prorsus conservatae sint, nimium violantur, dummodo meminerimus regulae illius, quam L. Mueller p. 359 expressit hisce: ,Praeterea observandum saepe corripi syllabas longas tales, quae post se haberent *i* brevem cum altera vocali'. Qua licentia cum praeter eos, quos Mueller attulit, etiam Martianum usum esse arbitremur, ne huius quidem versiculi pedem primum censebimus turbari admisso cretico.

Superest ut inquiramus in reliqua pedum genera eadem sede a Martiano adhibita. Itaque semel minus elegans legitur dactylus p. 256.1: ,Liliaque det papillae'; tamen eum Martiani in his versibus maiori licentiae condonabimus. Quod idem sentiremus de tribracho, a quo incipit versus hic (p. 298.2): ,Madida detergit ora', ni secundi pedis mala condicio moneret in his traditas litteras sanas esse vix posse. Nam cum a secundo pede, id quod mox pluribus demonstraturi sumus, spondeum Martianus cohibendum censuerit, detergendi verbum invita Minerva in hunc versum iudicabimus illatum. Quam ob rem cum lenissima usi correctura proponamus scripturam hanc ,Madidata tergit ora', et primum pedem reddemus anapaesticum et alterum liberabimus spondeo. — Ea igitur, quam modo ostendimus, in constituendis pedibus primis ratione probata nullus versiculus remanebit, cuius anacrusi Martianus tribuerit creticum, nullus cui tribrachum: contra ab anapaestis incohant non quos antea numeravimus XXXXVIIII, sed LIII.

Iam vero ut paulo restrictiores simus in perlustrandis legibus a Martiano c e t e r i s p e d i b u s constitutis, secundae huius metri sedes plerumque meris obtinentur iambis: spondeos Eyssenhardtius reliquit quattuor (p. 53.11; 256.2; 298.2; 343.27), unum anapaestum (p. 298.11). — Et ex illis cum duos, qui legebantur p. 298.2 et 343.27, iam antea suo loco deiecerimus, equidem omnino nullum retinendum esse censeo. Nam cum secundum notissimam legem quo breviores singuli versus exstent, eo severioribus normis adstringi soleant, ab horum quoque versiculorum sede pari spondeum procul afuisse arbitror: quam legem videmus plerisque observatam, Laevio Senecae Petronio Terentiano Prudentio Boethio; contra Luxorius quod Plautinam, ut videtur, licentiam affectans in XXVIII versibus ter pedem secundum effecit spondiacum, inde ad nostri poetae artem aestimandam nihil consequitur. Ex reliquis igitur duobus versibus priorem illum (p. 53.11): ,Memorans frigente vero' pridem corrigere stu-

duit Boettger [1] pro illo ‚frigente' substituendam arbitratus formam ‚rigente'. Quam coniecturam Eyssenhardtius neglegere non debebat: etiamsi enim per se verum nec ‚rigere' rectius dicatur quam ‚frigere' nec vero hoc concinnius illo, nostro certe loco, ubi poeta Camenam inducit phaleras parantem libello commentaque sobriis disciplinis afferentem, rigendi verbum videtur aptissimum: nam quod riget, id desiderare solet ornatum. Certe cum librorum in hac re auctoritas paene nulla sit, equidem lenissima illa correctura recepta versiculi numeris subvenire haud dubito. — Ultimum denique versiculum hunc (p. 256.2): ‚Ne nunc sensu iugalis' cum eo, qui subsequitur ‚Ferat pudore morsum', librariorum neglegentia turpiter vitiatum esse apparet; ubi in praestantioribus duobus libris exstant haec: ‚Nec (‚Ne' habet optimus *B* ‚nunc' particula in utroque a secunda manu addita) sensus iugalis Feralis cura morsum'. Ergo de violenta illa Eyssenhardtii coniectura sane licebit dubitare; quanquam ingenue fateor me nullam emendandi meliorem viam potuisse investigare. Unum vero hoc pro certo persuasum habeo, ‚nunc' particulam corrupta iam genuina versiculi scriptura ab interpolatore quodam metri lacunam odorante perperam in contextum esse illatam. Certe vero, quae est ambigua huius versus condicio, ex eo nihil omnino de spondeo in secundum pedem a Martiano admisso statuere audebimus. — Superat denique unus ille versiculus, cuius pedem secundum anapaesto expleri supra indicavimus (p. 298.11): ‚Temptat celerare cursum': ubi mira quadam cum pertinacia Eyssenhardtius sprevit medelam iam ab Oudendorpio inventam, qui ad Apulei Metam. II. 24. (edit. Lugd. a. MDCCLXXXVI. pag. 100 *a)* pro eo, quod codices *B* et *R* habent ‚clere', scribendum censuit ‚ciere' [2]. Ipsa vero huius carminis verba docent, quanto melius cum nostri loci sententia conveniat verbum ciendi quam celerandi: nam qui modo (p. 298.5 seq.) cupivit gressum movere, eundem vix probabile videtur iam gressum esse celeraturum, quod certe ad temulenti nutantisque senis imaginem pessime quadraret.

Porro iam tertium pedem [3] cum plerique eadem qua in

---

[1] Neue Jahrbücher f. Philol. u. Paed., XIII. Suppl.-Bd. 1847. pag. 610.

[2] Quod quam recte Oudendorpius viderit ipsum quoque significaturum fuisse censeo Petersenum, apud quem (p. 68) typothetae nimirum errore depravata leguntur haec: ‚Verum autem sine dubio est ‚cluere' ab Oudendorpio inventum'.

[3] De quo haec proposuit L. Mueller p. 148: ‚primi iambici . . . metri inventores . . . notis locis admisere spondeum excepta tamen paenultima sede versuum talium ‚tinctus colore noctis'. (Ter. Maur. 2495.)

secundo pede severitate usi a spondeis defenderint.[1] Martianus octiens vice iambi admisit spondeum (p. 36.27; 37.16; 23; 255.23; 297.26; 298.7; 14; 343.26): qua in re maiorem quandam poetae licentiam agnoscemus. Nam etiamsi duos fortasse versus hos ,Praetervolans perrexit' (p. 36.27) et ,Cessator intricatus' (255.23) a ceterorum grege liceat secludere, tamen remanebunt sex, in quibus a meliorum poetarum consuetudine Martianum discessisse concedendum est. Duorum vero illorum versuum alterum ad eam formam redigendum censeo, quae in codicibus traditur, nempe ut scribatur: ,Praetervolans perexit'; ubi vocem ,perexit' haudquaquam inauditam, qualis visa est Koppio — legitur enim in Cassiodori Variarum lib. XI. 6 (p. 833. v. 3. ed. Mign.)[2] — retinendam existimo commotus non tam sola librorum auctoritate neque integritudine metri nec denique satis miro ac singulari usu verbi pergendi, sed quod manifestissime totius loci tenor ut respuit formam temporis praeteriti ita praesentis flagitat. — Alterum autem versiculum cur excipiendum iudicaverim ex iis patet, quae de verbo intricandi supra dedimus.

Dimetri iamb. acatal. Iam hic statim subiungantur ea, quae de dimetris iambicis acatalectis addenda videntur, etiamsi huius metri versus apud Martianum non reperiantur nisi coniuncti cum hexametris dactylicis. Itaque ex XXVIII illius generis versibus XXI ii, qui cadunt in duo carmina libri II. (p. 33) et IX. (p. 336), ea cum severitate sunt compositi, ut neque tribrachys neque anapaestus neque dactylus nec denique sedibus paribus substituatur iambi loco spondeus. Contra in eo carmine, quod insertum est libro VI. (p. 245), ter Martianus semipedem tertium videtur produxisse (p. 245.7; 11; 19). Ac de horum versuum primo non est quod addamus, cum de intricandi verbo iam supra inter nos convenerit. Verum in reliquis duobus versibus fieri non potest, quin ea licentia Martianum usum esse statuamus, a qua eum in componendis dimetris catalecticis abstinuisse satis nobis videmur demonstrasse. Nam cum recte iudicaverit L. Mueller (p. 342 inf.) veri vix videri simile *as* syllabam extremam a Martiano esse correptam, ne tum quidem, si cum illo in altero versu (p. 245.11) vocem ,voluptas' post ,inquit' positam fuisse suspicaremur, ab omni difficultate liberati essemus: restat enim spondeus, qui legitur in versu extremo hoc: ,Iure ut credatur mascula'. Quem neque ea ratione amoliri poterimus, ut in verbo credendi opinemur primam syllabam a Martiano

[1] Unum deprehendi, qui isti normae officeret, (exceptis nimirum Plautinis) Luxorii versiculum hunc: ,Mutare mox lugubrem' (A. L. 309.14 *R*).

[2] Verba sunt haec: ,non te tanquam vacuam fistulam dicta perexeant'. Praeterea cf. Cangii Glossar. s. v.

esse correptam: obest enim exemplum tertii versus antecedentis; nec vero ita, ut substituamus aliud quoddam verbum metro melius accommodatum, cum ne minimae quidem dubitationi de librorum in hac re fide locus relinquatur [1]. Ceterum iterum moneo tres illos vel si ita placet duos locos, qui consuetudini ceteroqui conservatae obsint, uno eodemque carmine contineri, cum in reliquis duobus nullum eiusmodi vitium deprehendatur.

Hendecasyll. Phalaec. Secuntur versus Phalaecei hendecasyllabi XXXXIII: inter quos quantum video reperitur nullus, quin adstrictus sit legibus vel optimis poetis probatis. In uno versu hoc (p. 11.15): ‚Arcas in thalamos venire iussus' cum iam antea indicaverimus, quam male placeat sententia Muelleri suspicantis posteriorem syllabam vocis ‚Arcas' a Martiano esse productam, nescio an praestet arbitrari eum pro spondeo substituisse trochaeum [2], etiamsi illius usus nullum praeterea exemplum apud Capellam reperiatur. — Deinde quae apud Eyssenhardtium perperam producta legitur ultima adiectivi ‚Nerina' in his (p. 343.7): ‚Nerinaque chelys movet Camenam', eam restituta cum Peterseno (l. l. p. 35) *B* et *R* codicum scriptura, quae fuit ‚Nerinaque chely', removendam censeo. — Caesura vero, quam exceptis sex versibus (p. 11.7; 21; 32.33; 33.4; 343.8; 20) ubique admissam videmus post tertiam arsin, de loco suo interdum mutata reperitur ut apud Catullum saepissime ita apud ceteros fere omnes poetas, quotquot huic versuum generi operam dederunt.

Asclepiadei min. Versus, quos dicunt Asclepiadeos minores, continuos Martianus in hac satura conflavit LXXXXII tria carmina (lib. I. p. 25; II. p. 34; VIIII. p. 341) efficientes. In quibus componendis hoc Capella novavit, ut resoluta primi pedis syllaba secunda a dactylo interdum versus faceret incohantes: eius licentiae, qua octiens eum videmus esse usum (p. 25.31; 26.4; 5; 34.9; 341.9; 17; 21; 27), quem tandem auctorem habuerit omnino non liquet. Nam neque Horatius nec Seneca nec vero Terentianus vel Boethius eorumve quisquam, quorum in Anthologia Latina carmina reperiuntur, idem sibi permisere. Itaque libenter subscribemus iis, quae de hac re proposuit L. Mueller p. 165, nimirum cum plerique adseverarent grammatici [3] versum Asclepiadeum minorem ortum esse demendo

---

[1] Quam enim Koppius in contextum recepit formam ‚putetur', ea nulla omnino codicum auctoritate defenditur.

[2] Cf. e. g. Catull. I. 2; 8; 9. Terent. M. 2585 al. Ceterum si quis in basi spondiaca consistere malit, haud inepte fortasse ante ‚in' voculam ‚iam' excidisse coniciet.

[3] Cf. de ea re Mar. Victor. a. gr. IV. 1: p. 147.7; 150.23; IV. 2: p. 161.2 seq.; Caes. Bass. d. m. p. 268.24 seq.; Atil. Fort. p. 296.2 seqq. *K.*

pentametro ultimam syllabam, nihil esse posse mirum quod Martianus eiusdem resolverit aliquando spondeum primum. Contra quod eum Mueller eodem loco arguit contraxisse interdum dactylum sequentem, ab huius vitii reprehensione Martianus secundum nostrum quidem textum omnino abest. — Sed ne in ceteris quidem pedibus prosodiae numerorumque leges violatae sunt. Nam propter productam in his (p. 26.16): ‚Terris recolitis vestra tenerier' vocis ‚recolitis' syllabam primam contulisse satis erit, quae de ambigua ‚re' syllabae mensura docent L. Mueller p. 362, et Christius § 32 extr. (p. 25). De correpta vero posteriore syllaba vocis ‚frustra' mox pluribus agetur. Contra ‚palam' adverbii (p. 25.13) syllabam priorem cur a Martiano productam esse putandum sit in primo capite exposuimus; istam enim versus illius constituendi rationem praeferendam putavimus alteri, qua quis opinari posset eum a iambica basi sumere principium: cuius usus cum apud Graecos certe poetas haud rara testimonia reperiantur, Romanorum neque grammaticorum quisquam facit mentionem neque poetarum est, qui exemplo esse Capellae potuerit.

Caesura in his versibus semper usus est legitima: ubi bis efficitur hiatus et quidem in his (p. 25.21): ‚Quae nec frustra mihi insita caritas'; (p. 34.16): ‚Et candore sacro aetheris utere'. Atque in ipso hiatu vix haerebimus collatis versibus elegiacis senariisque iambicis iis, quorum eandem condicionem antea cognovimus. Tamen in priore illo versu (quem et Grotius et Koppius nescio qua auctoritate ducti locupletarunt addita post pronomen copula ‚est') cum praeter hiatum obsit metro correpta ultima adverbii ‚frustra' [1], duae in eodem versu offensiones de scripturae integritate suspicionem moverunt: accedit, ut ipsa verba mutationem paene suadeant. Nobis igitur ad hanc formam ille versus videtur redigendus: ‚Quae nec frustra animis insita caritas'. Commendatur haec coniectura praeter facilitatem primum ea re, quod participium ‚insitus' saepissime coniungitur cum dativo vocis ‚animus'; praeterea numerum pluralem tuetur similitudo formarum, quae prope adstant, ‚sensibus' et ‚pectora': ceterum cf. de hoc usu quae Burmannus dedit ad Phaedr. II. 2 et ad Lucan. VI. 176; VII. 100; IX. 9.[2] — Sed quoniam de

[1] Ceterum cf. quae de hac voce priore loco ipsi proposuimus (p. 8).

[2] Fortasse hoc quoque cuipiam aliquantuli momenti videri potest, quod in Guelferbytano quodam codice (ni fallor eo, de quo Eyssenh. egit Praef. p. XXVI), quem cum suo editionis Grotianae exemplari (exstat in biblioth. Lips. s. n. Gramm. lat. 111.) contulit Theophilus quidam Korttius, ita legitur: ‚frustramini'; quanquam iste liber plane nullius est pretii.

caesura sermo factus est, ne hoc quidem memoria videtur indignum, quod in eligendis vocabulis priores versiculorum partes terminantibus Martianus sive consulto sive casu severiorem Senecae consuetudinem secutus est, ita quidem, ut undequadragiens adhiberet voces anapaesticas, porro choriambicas XXVII, iambicas XXVI, nusquam vero secundi pedis dactylum pateretur constare verbo in dactylum exeunte, id quod ‚non nimis raro' sibi Horatium ‚violato caesurae rhythmo' permisisse observavit L. Mueller (de metris Horat. p. LXXIII. E, XVIII.). Contra bis locum concessit tmesi in incisione versuum horum (p. 34.9; 11): ‚Atque reum rabido absolvere pectore'; ‚Soritas cumuli accessibus aggerans'; ubi vocum compositarum metri interstitio binae partes disiunguntur. Denique de duobus iis versibus, in quibus priorum particularum syllabae extremae per se breves a Martiano videantur esse productae[1], quid iudicandum sit supra exposuimus.

Asclepiadei minoris forma catalectica, cuius mentionem fecit L. Mueller p. 164 quamque binis quinquiens versibus Martianus adhibuit p. 343 seq., nihil omnino difficultatis movet.

Iam nos convertamus ad ea metra, quibus ad componenda minoris ambitus carmina Martianus usus est. Itaque trochaicos versus non reperies nisi duos octonarios catalecticos, quibus interpositis (lib. II. p. 32.16 seqq.) singula Musarum cantica distinguuntur: de quibus non habeo quod moneam.

Adonii. Ex numero eorum versuum, quorum singuli pedes generi pari tribuenda sunt, primum nominentur versus Adonii XXVII, quibus efficitur carmen Euterpae lib. II. p. 35. Huius metri leges, ut cuius singuli versus paucis tantummodo syllabis constant, fere nunquam poeta migravit excepto uno versiculo hoc: (p. 36.6) ‚Mortalibusque'; ad quem aut eam normam adhibebimus, quam ipsi in capite primo (p. 12) proposuimus, aut, id quod etiam magis nobis arridet, totum versiculum ut glossema a librario quodam ad vocem antecedentem, quae est ‚caducis', adscriptam moxque explendi metri gratia ‚que' particula auctam omnino delebimus. Ceterum in hoc carmine iusto omnia ordine procedunt.

Paroemiaci. In XIIII versibus paroemiacis, qui reperiuntur lib. II. p. 34 seq., tanta diligentia Martianum videmus usum, ne semel quidem ut a meris anapaestis decesserit. Cuius generis versus non nisi continuos ante Martianum compositos esse a Terentiano (vers. 1812—1838), Ausonio (Sept. Sap. Sent. VII. Thales), Hosidio Geta (Anthologia Lat. *R.* I. 17, 25—51;

[1] Versus sunt hi: (p. 341.23) ‚alternisque regit et regitur polis'; (p. 342.5) ‚bis plenum omnisona cui recinunt mela.'

107—147; 283—311) recte monuit R. Peiper in ind. metr. edit. Boeth. p. 222.

Ionici tetram. Iam proximo loco agatur de iis versibus, qui constant quaternis pedibus Ionicis a minore: in quibus pangendis Martianus paulo minore cum cura versatus est. Nam quod L. Mueller (p. 158) hosce versus, qui leguntur p. 137 numero XI, narrat esse puros nisi quod semel minus eleganter poeta molossum (p. 137.10 secundum lectionem Eyssenh.), semel etiam admiserit ditrochaeum, huic sententiae complura videntur addenda. Veluti quod illius carminis versus quintus exit in vocem ‚palliatarum', ea re metri integritatem non turbari, sed syllabam a fine tertiam ex more christianis poetis satis usitato ducendam esse pro brevi apte demonstrasse censeo L. Muellerum p. 365. Nec vero magis offendemur ‚praestigiatricis' (v. 15) secunda syllaba correpta: quam adnumerandam esse apparet iis, quas propter *i* sequentem iuncta altera vocali interdum corripi esse solitas supra vidimus; item de voce ‚temulentam' antea disputatum est. Praeterea Martianus versus paene ultimi formam legitimam variavit adhibita anaclasi. — Superest ut iudicium feramus de huius carminis versu tertio, in quem cum Koppio Eyssenhardtius probata scriptura manus secundae (*b*) recepit molossum:

‚Licet unam decuit iussae permittere culpam.'

Quam lectionem optimo, ut nobis videtur, iure in dubium vocavit Petersenus l. l. p. 16, cui et iteratio participii ‚iussa' insulsa visa est et molossus pro Ionico vix probandus.[1] Ac libri quidem *BC* haec tradunt: ‚Licet unam decuisse permittere culpam'; e quibus si eliciamus formam ‚decuisset', metro quidem deest pyrrhichius, sententia vero desiderat dativum personae, qui cum permittendi verbo coniungatur. Unde nescio quo casu excidisse concluserim formam pronominis ‚mihi', qua recepta hanc versus speciem nanciscimur: ‚Licet unam decuisset mihi permittere culpam'. Sed adhuc claudicat sententia: nam quid sibi velit istud ‚permittere culpam' neque Eyssenhardtium perspexisse arbitror neque explanavit Koppius, cum reddere conaretur hisce: ‚quanquam unam veniam dare decuit': nam

[1] Ceterum quod ille ‚licet' indicativo modo iunctum non esse dicit quod offendat, concedendum sane et apud Martianum (quanquam in afferendo uno loco p. 54.29 Petersenus falsus est) et apud alios illius aetatis scriptores pauca eius usus exempla reperiri. Tamen memorandum Capellam in carminibus nunquam, in pedestri sermone admodum raro (e. gr. in duobus libris prioribus undeviciens reperitur modus coniunctivus, indicativus semel) ea licentia usum esse. Unde apparet, quam sit lubricum ad emendanda verba ea dicendi ratione niti, quam ipsi auctori haudquaquam frequenter adhibitam videamus.

‚culpam permittere' hoc loco minime idem valet quod ‚dare veniam'; abundat nimirum accusativus ‚culpam'. Huc accedit ut totum hoc enuntiatum egeat nomine aliquo, ad quod referatur proximi versus verbum ‚cederet': quod qua ratione illi interpretes accipiendum censuerint mihi non liquet. Itaque pro ‚culpam' substituendum proposuerim ‚divam'[1]: quo vocabulo recepto etiam adiectivi formam ‚unam' in ‚unum' corrigamus necesse est. Denique exhibeamus, qualem iam illius periodi formam nacti simus:

‚Licet unum decuisset mihi permittere divam,
Ut honoris pretio cederet inferre relatus.'

Ionici dimetri. Sed haec hactenus de Ionicis tetrametris: circumspiciamus nunc dimetros, quales quidem L. Mueller p. 158/9 esse vidit versus XXIIII, qui leguntur p. 344 seq. in eo carmine, quod incipit a verbis: ‚Carmen Latmiadeum Lucis diva secundae Sacris praetulit astris'. Hos quominus accipiamus pro Pherecrateis prohibemur interpositis duobus versibus anaclomenis his: (p. 345.2; 10) ‚Palmam dedit cicutis'; ‚Mage percrepat flagello': quibus tertio loco adnumerandum censeo eiusdem paginae versum 17: ‚Rupe et dura quiescit'; nam in hoc libentius feremus productam syllabam tertiam (cf. Christ². p. 498), quam in puro Ionico dimetro alterius pedis syllabam primam. Nisi forte quispiam cum Grotio commutatis inter se substantivo et adiectivo ad hanc formam versum redigere malit: ‚Dura et rupe quiescit'. — Notandum vero huius carminis nullum versum excepto uno anaclomeno non incipere a molosso Ionici vice posito: quod eo mirabilius apparebit, quo maiore cum cura Martianum vidimus tetrametrorum Ionicorum integritatem fere nunquam turbasse. Qua re commoti sane dubitare possemus, num forte Martianus versus Pherecrateos componere in animo habuisset, quibus carminis fortasse antecedentis similitudine ductus duos illos (vel tres) iambicos dimetros catalecticos admiscuisset. Sed nunc quidem in Muelleri sententia acquiescendum[2]: dolendum certe, quod paene nullae eius generis versuum Latinorum reliquiae supersunt, quibus de Romanorum poetarum in ea re placitis luculentius edoceri possimus.

Iam vero quomodo in reliquis Martianus expoliendis his versibus consuluerit breviter perstringamus. Itaque de vocis ‚balantum' (345.4) prima syllaba correpta superiore loco actum

---

[1] Similiter Martianus paulo ante ad Iunonem respiciens vocavit Dialecticam ‚divae praeceptis parituram'.

[2] Nam Koppius ut finem versus magis magisque parciore commentario Martiani libros instruxit, prorsus silentio huius metri difficultatem praeteriit.

est. — Pessime vero Eyssenhardtius tractavit huius paginae versum VII.; cui cum priores editores hanc formam tribuissent: ‚Ac tunc conscia noctu‘, ipse hunc in modum eum meliorem sibi reddidisse visus est: ‚Hoc tunc comite noctu‘. Ergo pro versiculo satis quidem obscuro pedestrem sermonem substituit: tribrachys enim cum hoc metro non convenit. Sed ne fabulae quidem rationem habuisse arguendus est: nam dormitorem Endymionem vix credibile est comitem sese Dianae addidisse. Denique pronomen ‚hoc‘ quo referatur non liquet, quoniam ipsius subulci antea ne semel quidem mentio facta est: an ‚sordentem amictum‘ pro comite accipiamus? — Itaque procul esto istud mendum, quod ne cum codicum quidem memoria bene congruit: exstant enim in codice *B* haec: ‚ac tunc conscia‘, in *R* ‚ac tunc constantia‘; unde apparet in archetypo exaratum fuisse tale quidpiam quale adscripsit in eodem libro manus secunda ‚ac tunc constia‘. Unde discimus latere sub istis litteris vocem prioribus librariis minus perspectam vel etiam ignotam, denique, id quod saepius scribarum calamos fefellisse notum est, nomen proprium. Qua ratione ducti haec genuina Martiani verba fuisse arbitramur: ‚Ac tunc *Cynthia* noctu‘ (cf. p. 341.17).[1] — Denique priusquam ad sequentia progrediamur unum hoc addatur, ineunte huius carminis versu IIII. pro eo quod nunc legitur ‚antrum‘ reponendum videri ‚cantum‘.

Choriamb. tetram. Ultimo loco disputandum est de X versibus Terpsichorae (lib. II. p. 35), qui continentur metro composito ex binis dimetris choriambicis et singulis versibus Aristophaneis, vel, ut simpliciore nomine utar Christio quoque probato (§ 534), tetrametris choriambicis clausula nimirum logaoedica. Quorum versuum posteriores pedes nulla ex parte laborant; in dimetris choriambicis semel reperitur correpta diphthongus *ae* vocis ‚Sabaeorum‘ (p. 35.12) et producta ultima verbi ‚peperit‘ (ib. 7): de quibus suo loco verba facta sunt. Contra versum huius carminis V.: ‚Quidquid agentes Stoici praescia dant futuris‘ non possum satis mirari qua ratione ducti non solum Grotius adulescens sed etiam Koppius nosterque Eyssen-

[1] Hic subiungantur pauca, quibus ni fallimur leviorem quendam Christii errorem deprehendimus. Is cum in libri sui (ed. II.) § 577 haec proposuerit: ‚Doch scheint . . . . die Form des ἰωνικὸν ἀνακλώμενον vorgeherrscht zu haben und nur selten durch einen reinen ionischen Dimeter unterbrochen worden zu sein. . . . . . Dasselbe Verhältniss ward von den jüngeren Dichtern, von . . . . . . Martianus Capella, eingehalten‘, ea quo referri velit non liquet. Nam in dimetris illis iambicis catalecticis, quibus Christius Anacreonteorum versuum nomen tribuit, omnino nullus reperitur dimeter Ionicus purus; contra in his ‚carminis Latmiadei‘ versibus paucissimi insunt anaclomeni, cum longe maxima pars efficiatur puris dimetris.

hardtius ut sanum praetermiserint. Mittamus nunc quidem vocis ‚Stoici' primam syllabam correptam[1], quanquam ne hanc quidem libenter feremus collato altero versu (p. 98.14) hoc: ‚Stoica circumeant ludantque sophismata sensus'. Sed de sententia verborumque inter se coniunctione summo opere videtur dubitandum: ex iis saltem, quae Eyssenhardtius praebet, mihi quidem aptum sensum elicere non contigit. Videamus igitur, quomodo Koppius rem sibi disposuerit: ‚Semper anhelis fomitibus docilis tulisti quidquid agentes dant Stoaci[2] praescia futuris', quae ab eodem explicantur hisce: ‚Semper ad aras docilis didicisti quidquid hostiam mactantes Stoico patefaciunt, quae noscuntur antequam fiant'. At in his aut omnino fallor aut coniunxit mehercle vir alias cautissimus cum pronomine ‚quidquid' pluralis numeri formam ‚praescia'. Et hoc vestigio nescio an Eyssenhardtius quoque lapsus sit. Praeterea quod adiectivum ‚praescius' eo fere sensu Koppius accipiendum voluit, quasi legeretur, ut vocem adhibeam paene inusitatam, ‚praescitus', id unde sumpserit latet. Sed ne sim verbosior in enumerandis illius explicationis erroribus, meam tandem de his verbis sententiam proferam. Ac primum quidem in extrema voce ‚futuris' delendam censeo *s* litteram ut ex proximi vocabuli capite falso huc translatam: praeterea vero cum adiectivum ‚praescia' veri videatur simillimum de ipsa Philologia dictum esse, sequentem quoque vocem (‚dant') ad eandem referendam scribendumque censeo ‚praescia dans futuri'. Stoicos autem ab hoc versu omnino secludendos iudicaverim; nam licet ea, quae de illorum artificiis auguralibus Grotio auctore Koppius adnotavit, aliqua probabilitate non careant, tamen vix putandum eos tanta faciendorum sacrorum gloria floruisse, ut appareat, cur hoc potissimum loco a Martiano nominati sint. Itaque ut in librorum vestigia inquiramus, codex *B* haec exhibet ‚agentes stoasi'; *R* ‚agentes id casi': unde nescio an recte coniciam in Martiani exemplari exaratum fuisse ‚agent istorici'. Videamus igitur, quam iam versuum speciem nobis comparaverimus:

‚Perdia pernoxque sacris namque operata chartis
Quidquid agent historici praescia dans futuri
Semper anhelis docilis fomitibus tulisti.'

---

[1] Similiter sane Athenaeus epigrammatista posuit: ‚Ὦ Στωικῶν μύθων εἰδήμονες' κτλ. ap. Diog. Laërt. VI. 1, 14 et VII. 1, 30; ubi neglecta librorum auctoritate ‚Στοϊκῶν' exhibuit Duebner in Anthol. Pal. IX. 496.

[2] Hanc dativi formam nominis Graeci Στώαξ vir doctus Martianum sibi elegisse aucupatur, ‚quo magis exerceret discipulos suos, quos tamen non solos, sed deinde etiam interpretes vexavit'. Vereor ne etiam Koppium.

Quae hunc in modum explicari velim: ‚Nam [tu, Philologia,] perdia pernoxque operata sacris chartis praescia futuri dans (i. e. docens), quidquid historici agent (intellige quidquid historici operibus suis inserent, quod ad idem redit ac si dixisset: quidquid fiet vel accidet) docilis semper anhelis fomitibus tulisti (i. e. didicisti).‘ Pluribus igitur poeta id explanat, quod ineunte carmine proximo tribuit eidem Philologiae cum dicat: ‚Virgo perite praevia sortis.‘ Ceterum etiamsi fortasse cuipiam vel nunc impeditior sententia apparuerit, tamen eam non censeo implicatiorem esse, quam ut cum Martiani tumore non conveniat. — Praeterea vero in his versibus nihil inest, quo choriambicorum numerorum ordo perturbetur.

Haec habui, quae de rationibus Martiano in componendis versibus probatis afferrem: in his cum permulta insint, quae ad defendendam metri integritatem sive excusando videbantur tuenda sive coniciendo emendanda, quid mirum si haud pauca fortasse reperiantur, quae sive audacius proposita sive tenacius servata criticorum laude minus digna existimentur? Certe hoc omnibus viribus assequi temptabam, ut in quantum fieri posset demonstrarem Martianum data opera ad optimorum poetarum perfectionem adspirasse. Et in hac re quasi summam iudicii positam censuerim, siquis de poeticis Martiani studiis quaesiverit, studuisse eum quoad posset praestantiora artis poeticae exempla assequi, tamen non minus saeculi sui quam patriae quadam rusticitate et in perspiciendis rei metricae elegantiis minore subtilitate praeditum ad propositum finem pervenire non potuisse. Certe hoc ex iis, quae in antecedentibus congesta sunt, pro explorato sumere licebit, Martianum altera ex parte abstinuisse nimia illa in conservandis metrorum legibus diligentia, cui plerosque posteriorum poetarum L. Mueller (rei metr. poet. Lat. summar. 1878 p. 16) ita studuisse commemorat, ‚ut, quas Augustei temporis poetae adhibuerunt licentias, raro, quas raro, vix unquam adhiberent‘; ex altera vero parte eundem fere ubique cavisse ab ea legum metricarum prosodiacarumque contemptione atque inscitia, qua paene omnes Capellae aequales iam imbutos fuisse non est quod testimoniis allatis demonstrari oporteat.

Caput III.

De Martiani in adhibendis partibus metricis consilio ac ratione.

Tertio iam loco investigare conemur, quale fuerit Capellae consilium in partibus metricis prosae orationi immiscendis. Qua de re disputaturis cum duplex quaestio oriatur, nempe altera, cur omnino pedestrem sermonem Martianus interpositis versibus

variaverit, altera, qua ratione ductus singula metra singulis locis adhibuerit, de priore illa sunt paucissima, quae aliquo cum fructu proferri posse putemus. Itaque ut ipsius Capellae de libri sui indole sententiam audiamus, ineunte statim libro I., ubi auctor filio suo de componendi operis ratione exponit, haec leguntur (p. 2.9): ‚fabellam tibi, quam Satira comminiscens[1] hiemali pervigilio marcescentes mecum lucernas edocuit, ... explicabo.‘ Similiter Saturae fit mentio p. 195.19 seqq.: ‚Hic ut lepidula est et quae totam fabellam ab inchoamentorum limine susceperit, Satura iocabunda‘ et q. sec. Accedunt verba haec, a quibus carmen extremum incipit: ‚Habes senilem, Martiane, fabulam, Miscilla lusit quam lucernis flamine Satura.‘ Denique huc pertinent, quas nugas ineunte libro VIII. §§ 806, 807, 809 Martianus conflavit de rixa inter semet ipsum exorta Saturamque ‚iocularem‘, ‚alioquin lepidulam‘, ‚inrisoria semper lepidaque versutia inter insana deridentem vatum tumores‘ et quae sunt id genus similia. Quibus locis collatis de Martiani quidem consilio vix iam ambigetur: qui cum a Satura totam fabulam sibi traditam esse fingat, satis manifeste ipsum opus saturae nomine dignum esse demonstrat. Tamen hac appellatione num Martianus id scribendi genus significare voluerit, quo Varronem eosque usos esse notum est, quorum nos plerumque opuscula saturarum Menippearum nomine insignire consuevimus, deinde num quenquam eorum aut quem potissimum ad imitandum sibi proposuerit, de ea re equidem certum quoddam iudicium facere non ausim. Etiamsi vero ipsum ex locis modo allatis in facetias operi suo immiscendas aliquam curam impendisse appareat, tamen assentiemur Riesio[2] nec minus Teuffelio[3] saturae Menippeae nomen a Martiani libris abiudicanti.

---

[1] In his de traditorum verborum scriptura licebit dubitare; quamvis enim diserte Koppius lucernis studia nocturna significari doceat, tamen ‚comminisci cum aliquo lucernas‘ Latine dictum non est; nec vero exemplis in illum locum collatis ad suam sententiam perducere nos poterit. Itaque pro eo quod in *B* exaratum est ‚comminitans‘ equidem ‚communicans mecum lucernas‘ restituendum censeo, i. e. socium nocturnorum studiorum me assumens.

[2] Riesii (Varr. satt. Menipp. rell. p. 19) verba haec sunt: ‚[Prosae orationis] cum versibus confusionem neque solus Varro saturis . . . . . adhibuit neque ipse primus inter Romanos usurpavit . . . . .; neque eius rei imitatoribus destitutus fuit. Inter quos Senecae quidem Martianique libris saturae, Petronii satirarum inscriptiones inditae sunt; Menippeas tamen eorum saturas ut appellemus nil omnino inducit. . . . . Iam enim vidimus . . . . ., in eo quod prosa versibusque mixtae sint non totam Menippearum proprietatem constare; accedere vero, quod gravius etiam est, ut cynica quadam insigniantur indole, ut σπουδογέλοιον genus consectentur, ut ridendo verum dicere et docere delectando suscipiant.‘

[3] Gesch. d. röm. Lit.[3], § 28.3: ‚Diese Mischung von Prosa und

Sed ut ad alteram illam quaestionem accedamus, exponere conemur qua ratione ductus Capella singulis carminibus suum cuique metrum attribuerit. Et heroos quidem versus ac disticha perinde fere adhibuit sive ad componendos hymnos eorumque similia sive ad narrationis et expositionis partes adumbrandas, denique iis fere locis, quibus eum sese ad epicorum poetarum morem tam ab incitato quam ab humili scurrilive sermone retinere oportebat. Itaque longis versibus continuatis concepta est ineunte libro II. noctis descriptio quantum ad poeticam venustatem pertinet haud ita mediocris; quacum conferenda sunt, quibus depingitur tempus matutinum lib. II. § 116. Nec vero inepte eodem metro poeta initio libri V. refert de terrore, quem minoribus diis iniecerit clangor rhetoricae adventu commotus. In eo vero carmine, a quo incipit liber VII. (‚Postquam conticuit prudens permensio terrae‘ cett.), luce clarius perspici existimo, quantum ad metrum ceteris quoque versibus constituendum primi versiculi sententia ac tenor valuerit. Nostra enim opinione apud eos potissimum poetas, quorum opera tanta metrorum varietate distinguuntur, bene attendendum videtur, quale iis in primis verbis conectendis metrum se obtulerit, quippe qui multo plures poetas ad primi versiculi metrum, qualecumque iis forte in mentem venit, reliqua quam ad certum quoddam metrum animo praeceptum inde a primo initio totum carmen componere solitos esse putemus. — Sed ut ad propositum oratio redeat, in primo carmine libri VII. cum per septem fere priores versus satis bene cum argumento metrum congruat, in reliquis versibus etiamsi argumentum variatum sit, tamen a numero semel probato in eodem carmine poeta discedere noluit: id enim nunc statim commemorare liceat, in eodem versuum tractu Martianum nunquam ab altero ad alterum metri genus transitum fecisse, id quod ut Petronium (c. 5 et 109) ita Varronem interdum sibi permisisse ostendit A. Riesius l. l. p. 79. — Denique huc referendi sunt tres illi versus (lib. II. § 141), quibus describitur commutatio illa hausto veneno in Philologiae corpore effecta: his autem versibus, id quod praeterea nusquam apud Martianum factum est, nullis verbis transitus faciendi gratia interpositis in eodem enuntiato pedestrem sermonem excipit poeticus (nam minime huc faciunt loci p. 297 et p. 339). — Similiter vero ad effingendas descriptiones praeter heroos versus

---

Versen zeigen saec. V. Martianus Capella, saec. VI. Boethius de consolatione philosophiae und die Historia Apollonii regis Tyri. Doch können diese trotzdem nicht wohl für satirae menippeae gelten, da in ihnen die Einmischung von Versen nur dazu dient, die sonstige Darstellung manchfaltiger zu machen, ein satirisches Element aber nicht vorhanden ist.‘

Martianus adhibuit disticha, veluti eo carmine, quo utitur ineunte libro IIII. ad introducendam Dialecticam, nec non altero, quod per tres libri VI. paragraphos 583 ad 585 de Geometriae habitu cultuque compositum exstat. — Porro vero, ut ad hexametros redeamus, aptissime suo metro Pythius deus non modo ipse utitur lib. I. §§ 21 sq. sed etiam laudatur lib. II. §§ 185 seqq. Deinde heroici versus bene quadrant in hymnum, quo Minervam poeta invocat ineunte lib. VI., nec vero minus in canticum illud in caeli laudem a Satura cantatum lib. VIII. § 808: quod item ad carminum astronomicorum[1] similitudinem videtur compositum esse, quemadmodum in iis versibus pangendis, in quos desinit liber VII., didascalicorum formam exemplo fuisse probabile est. Bene vero Capellam fecisse existimem, quod a distichis dactylicis totius operis principium sumpserit in eo potissimum carmine, quo elegiarum amatoriarum more nuptiarum deus cantetur. Nec vero minus propter argumentum hic ea disticha laudaverim, quibus prima libri VIIII. paragrapho poeta indignabundam inducit Venerem ‚hymeneiam‘: quae si contuleris cum iis, quibus lib. III. § 262 Grammatica a litterarum enumeratione progreditur ad tractationem syllabarum, admodum manifestum est, quantum discriminis intersit inter versus puris dactylis copiosos et eos, in quibus praevaleant syllabae longae. Ceterum cur disticha ac non potius iambos (de quorum usu paulo infra agetur) huic carmini Martianus tribuerit non liquet. De Uraniae distichis (lib. II. § 118) non minus quam de reliquis metris in Musarum (lib. II.) Harmoniaeque (lib. VIIII.) carminibus usurpatis sub finem huius capitis in universum iudicium facere cogitamus. — Singulari denique consilio Martianus videtur usus esse in componendo eo carmine (p. 339), quod adversus ceterorum poetarum consuetudinem continuatis pentametris constare supra commemoravimus. Ubi cum praeter Ausonium non habeamus, cuius exemplo Capellam ductum esse opinemur, nescio an ex ipsius verbis quid sibi voluerit enucleare liceat. Exstant igitur in iis, quibus istud carmen praenuntiatur, haec (p. 338.23 seqq.): ‚. . . praecedebat numerus heroum crinitorum sapientum, qui omnes modulatione quidem leni . . . . . qualibet dulcedine murmurantes . . . . . musicos tonos quos modo compererant retexebant.‘ In his licet fallar suspicatus eum verbis quae sunt ‚musicos tonos quos modo compererant‘ indicaturum fuisse, id poesis genus iam se editurum esse, quo antea vix quisquam usus sit, tamen inde quod canticum illud, quod paulo post (p. 339.3) nuncupatur ‚flexanimus concentus‘, vocat ‚modulationem lenem’, apparet eum singulare quidpiam conflare

[1] Praeter cetera cf. quae leguntur in Anth. Lat. 676—680. 761. *R.*

in animo habuisse, quod mollitie sua, ut ita dicam, cetera omnia superaret.

Sed ut omnia statim metra absolvamus, quae cum genere pari aliqua ratione coniuncta sunt, satis apto, ut mihi quidem videtur, iudicio usus Capella duobus carminibus (lib. VIIII. §§ 902 seq.; VI. § 704) componendis adhibuit metrum illud epodicum, quod dicere solent pythiambicum (cf. L. Mueller. Horat. p. LXXX). Nam in altero, cui epithalamii nomen licet tribui, heroicum metrum locum suum tenere docent eiusdem generis carmina Catulli Statii, Ausonii Claudiani aliorum, cum interpositi singulis hexametris dimetri iambici significent petulantiam sive, ut ipsius Martiani verbis utar, fescenninam illam licentiam, quae eiusmodi carminum argumento postulatur. Similiter fere in altero quoque carmine idem metrum inservit reddendis cavillationibus ac ludibriis, quibus lib. VI. Voluptas dea persequitur Geometriam. Quanquam nolumus argutiores esse in definienda cura a Martiano ad eligendos singulos numeros adhibita! — Ceterum illi metro qui operam dederit praeter Horatium (epod. XIV. XV.) et Ausonium (epist. III. X.) Latinorum poetarum equidem neminem nominare habeo.

Iam de metris iambicis acturi hoc ante omnia praemoneamus, excepto uno carmine (lib. VIII. § 805) nusquam eius generis versus admitti nisi ad dicta sive deorum sive ipsius Martiani reddenda. Tamen rursus alia est ratio senariorum, alia breviorum versuum; itaque eo numero, quem Flaccus praeter ceteros dicit

> ‚alternis aptum sermonibus et populares
> vincentem strepitus et natum rebus agendis‘,

primum utitur Apollo de filii nuptiis cum Iove pacturus lib. I. §§ 31 seqq., deinde Minerva sub finem libri IIII. Dialecticae dicendi cursum refrenans. Ceteris locis ‚rebus agendis‘ ipse Martianus senarios sibi reservavit, quibus libelli progressus cum lectoribus communicaret: quo referenda sunt carmina, in quae exeunt libri II. V. VIIII., et quod continetur lib. III. § 289. — Secuntur dimetri iambici catalectici: quos quam commode tenellorum nomine notaverit L. Mueller p. 107 inf. (cf. et Christ[2]. § 416 p. 354) ex hac quoque re perspici posset, quod vel Martianus easdem illi metro partes tribuit. Eo igitur usus primum ineunte libro III. Capella nugatur cum Satura sua vel Camena ‚phaleras‘ illi quoque libro parante; deinde lib. VII. § 726. Mercurius ‚ne infacetus et impar lepidulis haberetur‘ hilaro susurramine respondet ad ioca, quibus eum Voluptas ad ingrediendum thalamum instigare studuerat; denique primo carmine libri VIII. facetissime ex Martiani quidem voluntate lascivis illis tenellisque versiculis eluditur Silenus crapula obrutus summamque

propter ebrietatem tandem ex deorum senatu reportandus. — Itaque in nullis fere huius operis carminibus artius quam in his cum argumento metrum convenire censuerim.

Versibus Asclepiadeis minoribus, quibus inesse summam gravitatem et quodammodo sanctitatem ex Horatii (I. 1; III. 30; IIII. 8) potissimum et Senecae (Tro. 371 seqq. Med. 56 seqq. Phaed. 753 seqq. Thyest. 122 seqq. al.) carminibus agnoscitur, haud indigne Iovem de sua benignitate praedicantem lib. I. §§ 91 seqq. usum esse fatebimur. — Eleganti autem, nisi animus me fallit, delectu habito Martianus iis versibus, quibus exeunte libro IIII. Dialecticam supplicantem fecit Minervae, destinavit Ionicos a minore, quo metro demissius et mollius nullum inveniri certum est (cf. Christ. Metrik² § 563). — In tribuendis denique Mercurio (lib. I. § 24) ad sermonem cum Apolline conferendum versibus Phalaeceis vix certa quadam ratione poetam ductum esse censebimus.

Iam quae adhuc metra reliqua sunt, omnia pertinent aut ad Musarum cantilenas, quae continentur libri II. §§ 118 ad 126, aut ad Harmoniae illa mele, quae reperies lib. VIIII. §§ 911 ad 919. Et in Musarum quidem choro sicut neminem bene perspecturum putaverim, quem ordinem secutus eas poeta induxerit, deinde cum exceptis fortasse Uraniae versibus ne argumenta quidem singulorum carminum conveniant cum muneribus singulis Musis vulgo attributis, iam vix mirabimur si in metris quoque eligendis Martianum ea cura supersedisse videamus, qua suae cuique indoli respondentem rhythmum tribueret. Ex nostro iudicio si quam omnino rationem in his metris constituendis Capella secutus sit, ea fuit, ut a facilioribus et magis usitatis ad difficiliora eademque rariora procederet. Quanquam non repugnaverim, si qui in posterioribus tribus carminibus consulto saltationis Musae bacchicum illud metrum choriambicum, Euterpae Adonios parum verecundos, denique Thaliae petulantes dimetros iambicos catalecticos tributos esse existiment. Contra Uraniae, cui paene nihil est cum poetica arte commune, cur aptissima visa sint disticha itemque hendecasyllabi Calliopae ac non potius versus epici, deinde cur hymnorum Musae placuerint senarii iambici, pythiambicum metrum Melpomenae, Asclepiadeum historicae artis deae, denique paroemiacos cur Erato sibi reservarit, hoc nullo operae nostrae detrimento in medio relinquendum esse iudico. — Tamen paulo maiore cum specie probabilitatis in Harmoniae cantilenis certum quendam modorum delectum a Martiano habitum esse censuerim. Nam primum Iovem ipsum invocans (§§ 911 seq.) metro utitur summae reverentiae pleno Asclepiadeo; deinde ad ceteros deos minus augustos conversa transit ad senarios iambicos, quibus saepius hymnos componi

esse solitos exempla docent (cf. L. Mueller p. 107); secuntur hendecasyllabi Phalaecei, ubi ab ipsis deorum invocationibus progreditur oratio ad carminum potestatem laudandam: quam simulatque exemplis e mythologia depromptis probare Harmonia coepit, cum argumenti lascivia versus quoque mutantur in tenellos illos dimetros iambicos catalecticos; hi rursus excipiuntur versibus binis pedibus Ionicis a minore constantibus, qui quam apti sint ad enarrandam lepidam de Diana et Endymione fabellam, quae isto carmine cantatur, neminem fugiet.

Ex iis igitur, quae de Martiani in adhibendis singulis metris usu modo observavimus, elucere censeo eum aestimandorum numerorum haud ita mediocrem fuisse arbitrum. Quare nos non magnopere erraturos existimem, qui ab eorum grege, in quos L. Mueller p. 104 invehitur hisce: ‚Itaque non fallemur dicendo saeculi quarti quintique auctores excepto uno fortasse Claudiano nullo ferme delectu diversissima pro arbitrio adhibuisse metra solam equidem varietatem nitoremque versuum spectantes‘, Capellam in universum quidem secludendum esse contendamus.

Denique hic subiungantur pauca de artis, quae vocantur, ludibriis, si qua eorum vestigia in Martiani opere deprehendantur. Itaque versibus intercalaribus, quibus interpositis poeta et Musarum cantica et Harmoniae poematia distinxit, non eum in modum noster utitur, quo fecerunt Catullus Vergilius Nemesianus denique pervigilii Veneris auctor alii, nempe ut singulos quosdam versus eodem quo ceteri metro compositos adhiberent, sed binos versiculos numero a reliquis diversos apposuit, quos ni fallimur Martianus, cum scaenicum quendam colorem illis partibus tribuerent, ephymniorum more, quae christianis voce barbara vocabantur ὑπακοαί, ab omni circumstantium coetu cantatos esse sibi finxit. Ceterum apud Varronem Senecam Petronium, quantum ex reliquiis perspici potest, nullum illius usus vestigium agnoscitur. — Iam vero unius carminis (VIIII. § 918) compositio ea est, in quo sane possit quispiam opinari non modo strophas quaternis versibus constantes a Martiano confectas, sed etiam eo artificio, quod dicere solent homoeoteleuton, binos versiculos inter se coniunctos esse, dummodo post paginae 344 versum 24 unum versiculum intercidisse existimet, cuius syllaba extrema aliquam haberet similitudinem cum antecedentis versiculi fine, qui est ‚ori‘. Tamen in re tam ambigua, in qua semper casui fortunaeque amplissimam provinciam relictam esse concedemus, de Martiani consiliis nihil certi affirmare praestat. — Eadem fere nostra est sententia de allitteratione quae vocatur; quanquam hac si aliquanto frequentius Capella usus esset, vix magnopere miraremur. Respicientes enim, quae de Romanorum poetarum, Ennii Lucretii Catulli maximeque Vergilii

aliorumque diligentia et cura in coniungendis vocibus talibus, quae a paribus litteris sumant principium, adhibita post Naekium (in Musei Rhenani parte ea, quae prodiit anno MDCCCXXVIIII., p. 324—318) proposuit L. Mueller p. 452—455, in alteram fortasse partem mirum nobis videretur, si ista vetustiorum poetarum consuetudine Martianus prorsus abstinuisset. Itaque etiamsi pauca fortasse eius exempla reperiri possint (e. gr. nomino unius carminis versus qui leguntur p. 48.6; 7; 16; 24; 30; 31; 32; 49.5; cf. et 245.10; 14; 16 al.), tamen propterea, quod mea quidem sententia incertum est, iustone consilio an casu allitterationum ista exempla in verborum contextum illata esse putemus, dubito an non liceat contendere Martianum data opera versibus artificio isto quasi ornatum quendam addere studuisse. — In universum igitur statuemus Capellam illius generis ludibria, quibus quosdam eius saeculi poetas diligentissime incubuisse notum est, haudquaquam adamasse.

Caput IIII.

De Martiano in partibus metricis aliorum poetarum imitatore.

In antecedentibus postquam quaesitum est, quos Martianus in adhibendis legibus prosodiacis et metricis auctores aemulatus sit, iam nihil obstat, quin ea quoque vestigia persequamur, quibus de eiusdem in verbis eligendis et enarrandis rebus exemplis edoceamur. Quanquam nos in re tam lubrica, qualis esse solet investigatio exemplorum, de integritate et plenitudine observationum a nobis institutarum nihil spondere posse fatemur, cum in alteram partem propter amplitudinem materiae respecturi simus eos solos locos, quorum aliquanto insigniorem cum versibus Martianeis similitudinem statuere liceat. Praeterea vero per se patet in eo opere, cui tam varii argumenti carmina immixta sunt, haudquaquam fieri potuisse, ut per omnia aequabiliter ad unum potissimum auctorem poeta sese applicaret. Immo apparet inter varia carminum genera fortiter esse distinguendum, ita quidem, ut alteri ordini dactylicae (exceptis Adoniis), alteri iambicae ac melicae poesis partes attribuantur. In ipsa vero comparatione instituenda duplicem rationem sequendam esse censeo, qua singuli versus Martianei conferantur tum cum iis aliorum poetarum locis, in quibus verborum, tum cum iis, in quibus argumenti quandam similitudinem conspiciamus: quanquam minime contenderim Martianum re vera suo quodque loco exemplar sibi proposuisse, ad cuius similitudinem versus conflaret argumentumve redderet.

Itaque iam ex ordine proposito singula persequamur.

A. Carmina dactylica.

Capellae loci.	Aliorum poetarum loci similes in verbis.	in argumento.
p. 1.3 (de Hymenaeo): Tu, quem psallentem thalamis, quem matre Camena Progenitum perhibent.		Claud. Epith. Pall. et Cel. 31: Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque Praefecit thalamis.
1.6: Complexuque . . . . foves.	Verg. A. VIII. 388: . . . amplexu molli fovet. Claud. B. G. 229: complexuque fovens.	
1.11: Cypridis qui maxima cura es.	Verg. A. I. 678: mea maxuma cura. — G. IV. 354: tua maxuma cura. Aus. ep. XXIV. 119: mea maxuma cura.	
1.13: Seu tibi quod Bacchus pater est, placuisse choreas.	Ov. F. V. 345: Baccho placuisse coronam.	Sen. Med. 110: Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei.
1.15.: Comere vernificis florentia limina sertis.	Verg. A. IV. 202: Pingue solum et variis florentia limina sertis.	
9.22 seq.: Anxia cum trepidis nutat sententia rebus Fluctuat incertis aut sors ignota futuris.	Val. Fl. III. 686: . . dum vario nutat sententia motu.	Verg. A. X. 501: Nescia mens hominum fati sortisque futurae Sen. H. F. 183: At gens hominum fertur rapidis Obvia fatis, incerta sui.
9.24: Consultet mortale genus.	Ov. M. I. 188; Sen. Oed. 983; Luc. III. 196; VI. 614: mortale genus.	Lucan. III. 319: . . . . sortisque deorum Ignarum mortale genus.
9.25: . . . vel spes incerta fatigat.	Verg. A. VIII. 580: . . . . . dum spes incerta futuri.	
10.8: Tartareos . . . . . . recessus.	Claud. in Ruf. II. 524: . . . . infraque recessus Tartareos.	

27.9: . . . . merso fulgentia sidera Phoebo.	Man.Astr.652: . . . . fulgentia sidera ponto.	
27.10: . . . . . plaustra Bootes.	Prop. IIII. 4, 35; Cf. Ov. Met. X. 447 al. Sen. Med. 315; Ag. 70; Germ. Ar. Ph. 139; Luc. II. 722; VI. 282: . . . . plaustra Bootes.	
27.16: Virginis interea trepidas perlabitur aures Fama.	Verg. A. VIIII. 473: . . . . matrisque adlabitur aures. — VII. 646: Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.	
27.17: . . . . complet tecta boatu.	Aus. Id. XX. 2: . . . . maesta boatu.	Verg. A. II. 679: gemitu tectum omne replebat. — VII. 502: imploranti similis tectum omne replebat.
31.27: Et iam tunc roseo subtexere sidera peplo Coeperat ambrosium promens Aurora pudorem.	Verg. A. III. 582: . . . . . . caelum subtexere fumo.	Verg. A. III. 584: Et iam prima novo spargebat lumine terras . . . . . Aurora. Laev. apud. Gell. XVIIII. 7: Aurora pudoricolor.
31.29: . . . lux alma.	Verg. A. I. 306; III. 311; VIII. 455 al.: lux alma.	
32.1 seqq.: . . . . . aurato fulget cum Phosphorus astro; Tunc candens tenero glaciatur rore pruina, Et matutina greges quatiunt in pascua caulas.	Calp. Ecl. V. 24: . . . . greges in pascua mitte.	Verg. G. III. 322 seqq.: At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet, Luciferi primo cum sidere frigida rura Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent Et ros in tenera pecori gratissimus herba. Calp. Ecl. V. 54: Frigida nocturno tinguntur pascua rore, Et matutinae lucent in gramine guttae.

33.30: . . . . . spes atque assertio nostri.	Verg. A. VIII. 514: . . . . . spes et solatia nostri.	Verg. A. XII. 57: . . . . spes tu nunc una, senectae Tu requies miserae.
48.20: . . . . . . radiisque sacratum Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre.		Verg. A. XII. 162 (de Latino): . . . . . cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt Solis avi specimen. Val. Fl. IV. 92: Sol auricomus . . . bis seno sidere textam Loricam induitur.
48.23: . . . . dicunt te flectere habenis.	Verg. A. VI. 804; XII. 471: . . . . . . flectit habenas.	
48.30: . . . . curvi et puer almus aratri.	Verg. G. I. 19: . . . uncique puer monstrator aratri.	Tib. I. 7, 29: Primus aratra manu sollerti fecit Osiris. Rut. It. I. 74: Et qui primus humo pressit aratra puer.
49.1: Salve vera deum facies.	Verg. A. VIII. 301: Salve vera Iovis proles.	Verg. A. V. 80: Salve sancte parens. — Geo. II. 173: Salve magna parens frugum (cf. Aus. Mosell. 381). Val. Fl. IV. 327: Salve vera Iovis, vera o Iovis, undique proles.
49.4: Da pater.	Verg. A. III. 89; X. 62; XI. 789: Da pater.	
98.16: Chrysippus cumulet proprium et consummat acervum.		Pers. VI. 80: Inventus Chrysippe tui finitor acervi.
138.3: Interea sonuere tubae raucusque per aethram Cantus et ignoto caelum clangore remugit.	Sil. It. XII. 181: Insonuere tubae. Anth. L. 392.1: Ut belli sonuere tubae. Verg. A. VIIII. 504: . . . . caelumque remugit.	Verg. A. VIII. 2: . . . rauco strepuerunt cornua cantu. Sil. XII. 182: raucoque tumultu Cornua. Verg. A. VIII. 526: Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor. — XI. 192: It caelo clamorque virum clangorque tubarum.

138.5: Turbati expavere.	Verg. A. VIIII. 538: Turbati trepidare.	
138.7: . . . . . veteris . . . . . . crimina Phlegrae.		Sen. H. F. 444: . . . . post Phlegram impio Sparsam cruore. Luc. VIIII. 656: . . . . . . caeloque timente Olim Phlegraeos stantes serpente Gigantes.
138.5 seqq.: . . . vulgusque minorum Caelicolum trepidat . . . . Tunc Amnes Faunique Pales Ephialta Napeae.		Ov. Ib. 81: Vos quoque plebs superum, Fauni Satyrique Laresque Fluminaque et Nymphae semideumque genus.
138.11: . . . placidam per pectora sacra quietem.	Verg. A. I. 691: . . . placidam per membra quietem. — IIII. 5: . . nec placidam membris dat cura quietem. Cir. 343: . . et placidam tenebris captare quietem.	
138.12: posita Silvanus forte cupresso.		Verg. G. I. 20: Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum.
138.13: . . . . . dextram tendebat inermem.	Verg. A. XII. 311: . . . . . dextram tendebat inermem (cf. ib. XI. 672; XII. 734; Claud. in Pr. et Ol. Cons. 28).	
138.15: Portuni trifidam . . . . . . hastam.		Val. Fl. I. 641: . . . trifida Neptunus in hasta.
138.16: Gradivi frameam.		Iuven. XIII. 79: Et Martis frameam.
138.16: seq.: . . . . falcem Saturni bello suetus disquirit agresti.		— XIII. 39: Sumeret agrestem posito diademate falcem Saturnus fugiens.
194.13: . . . tergeminae rutilant de vertice cristae.	Verg. A. VI. 779: . . . geminae stant vertice cristae.	

195.1: Pectore saxificam dicunt horrere Medusam.	Ov. Ib. 551: Saxificae . . . . ora Medusae. Luc. VIIII. 670: saxificam iussit spectare Medusam. Sil. X. 177: saxificae monstrosa e stirpe Medusae.	Cf. Verg. A. VIII. 437; Prop. II. 2, 9; Sil. VIIII. 441; X. 434 al.
195.3: Arcibus urbanis veteres tibi templa sacrarunt.		Catull. LXIIII. 8: Diva . . . retinens in summis urbibus arces. Verg. Ecl. II. 61: Pallas quas condidit arces Ipsa colat. — A. II. 615: . . summas arces Tritonia . . . Pallas Insedit.
195.10: Te precor.	Verg. A. X. 461; 525: Te precor.	
ib.: . . . ad proprium dignata illabere munus.	Verg. A. III. 89: . . . . . animis illabere nostris. — Cul. 25: . . . . meis adlabere coeptis.	
197 20: . . . consistens suspicit orbem.	Manil. II. 729 seq.: . . . . mundus Fundamenta tenens adversum suspicit orbem.	
ib. 20 seq.: . . . . Tellus Puncti instar medio haeserat ima loco.	Ov. F. I. 110: Sederunt medio terra fretumque solo.	Lucr. V. 495: Sic igitur terrae concreto corpore pondus Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum Confluxit gravis et subsedit funditus ut faex. — V. 534: Terraque ut in media mundi regione quiescat. Manil. I. 167: Imaque de cunctis mediam et tenet undique sedem. ib. 170: . . . . medium totius et imum est. ib. 180: . . . . medio suspensa manet.
ib. 22: Hanc tener et vitreis circumvolitantibus auris Aer complectens.		Ov. M. I. 12: . . . circumfuso pendebat in aere tellus.

197.24: . . immenso quo cingitur illa profundo.		Ov. M. I. 30: . . . . circumfluus umor Ultima possedit solidumque coercuit orbem.
198.2: Sic Cypris Oceani perfuso sidere lymphis Lucifero annuerat lumina tota suo.		Verg. A. VIII. 589: Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda, Quem Venus ante alios astrorum diligit, ignes Extulit os sacrum. cf. Sil. VII. 639.
ib. 5: . . . domus alta deum.	Verg. A. X. 101: deum domus alta.	
ib. 6: Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus Archimedea astrificante manu.		cf. Claud. in sphaer. Archimed., carm. minor. XXXXIII (LXVIII). Ov. F. VI. 277: Arte Syracosia suspensus in aere clauso Stat globus, immensi parva figura poli.
255.2: Cylleni immurmurat aure.	Stat. Theb. I. 532: tacitaque immurmurat aure. Verg. G. IIII. 261: . . . . silvis immurmurat auster.	
ib. 4: Armipotens (de Pallade).	Verg. A XI. 483: Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo.	
295.27: Si tamen ullus inest nostris super halitus aris.	Verg. A. IIII. 685: . . . si quis super halitus errat.	
299.21: . . bis septem solitus servare Triones.	Cic. N. D. II. 41, 105 (ex Arat.): . . . . . . Stellae Quas nostri septem soliti vocitare Triones. Verg. G. III. 381: Hyperboreo septem subiecta Trioni.	
ib. 22: . . . . . . resplendet luce Bootes.	Val. Fl. II. 68: Actaeus niteat qua luce Bootes. Cic. Ar. Ph. 640: . . . . larga cum luce Bootes.	

331.8: Quis modus, inquit erit? Quonam sollertia fine Impedient thalamos ludere gymnasia?	Verg. A. IIII. 98: Sed quis erit modus? — Ecl. X. 28: Ecquis erit modus?	Verg. A. IIII. 98: Sed quis erit modus, aut quo nunc certamine tanto? Quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos Exercemus?
ib. 10: Deriguit.	Verg. A. III. 260; 308; Stat. Th. VIIII. 36; Luc. II. 78: Deriguit.	
ib. 14: . . . . . . modulatur tibia carmen.	Verg. Cul. 100: . . . modulatur carmen avena. Ov. Rem. 181: . . . modulatur arundine carmen. — M. XI. 154: . . . cerata modulatus arundine carmen. Val. Fl. IV. 386: . . . . modulatur carmen avena.	
ib. 18: . . . . . pectora mulcet.	Verg. A. I. 153; 197; Val. Fl. I. 299; Sil. XVII. 46: pectora mulcet.	
336.23: aurea . . . . . . Luna.	Ov. M. X. 448: fugit aurea caelo . . . Luna.	
ib. 24: rosis iugabo lilia.		Ov. Am. II. 5. 37: Quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae. — Repos. de conc. Mart. et Ven. (Anth. L. 253 *R.*) 111: Lilia cum roseis supponit candida sertis.
ib. 25: . . . . sociabunt foedera lecto.	Ov. Ib. 15: Perpetuoque mihi sociatam foedere lecti. — Epithal. cod. Salm. (Anth. L. 22 *R.*) 1: . . . coniungite foedera lecto.	
337.21: . . . . oculos deiecta decoros.	Verg. A. XI. 480 (Anth. L. I. 11, 68; 17, 416 *R.*): oculos deiecta decoros. Val. Fl. II. 470: . . . . . . oculos deiecta pudore.	

339.4: Nam Thrax, quo duri rumpere regna Erebi.		Cf. Ov. M. X. 11—52; Verg. G. IIII. 467—491; Sen. H. F. 569—591; — H. O. 1036—1093; Ov. A. A. III. 321 seq.
339.5: Quoque suam meruit immemor Eurydicen.	Verg. G. IIII. 490: .... Eurydicenque suam .... Immemor, heu! victusque animi respexit. Sen. H. F. 575: Orpheus Eurydicen dum repetit suam. — H. O. 1089: Sed dum respicit immemor.	
339.7: Quo fertur rapidas perdomuisse feras.		Sen. H. O. 1054: Ad cantus veniunt tuos Ipsis cum latebris ferae.
339.8: Quo vidit .... silvas currere.		Hor. C. I. 12,7: Unde vocalem temere insacutae Orphea silvae.
339.10: Carmine quo Strymon continuit latices Et Tanais versis saepe reflatus aquis.		Prop. (IIII. 2, 1) IIII. 1, 41: Orphea delenisse feras et concita dicunt Flumina Threicia sustinuisse lyra.
339.12: impune accubuit rictibus agna lupi.	Ov. F. II. 86: Saepe avidum fugiens restitit agna lupum.	Sen. H. O. 1056: Iuxtaque impavidum pecus Sedit marmaricus leo.
339.13: et lepus immiti contulit ora cani.		Ov. F. II. 37: Saepe canes leporesque umbra iacuere sub una.
339.19: [Amphion] .... docuit rupes carmina velle sequi.		Hor. C. III. 11, 2: Movit Amphion lapides canendo. — Epp. II. 3, 394: Dictus et Amphion .... Saxa movere sono testudinis et prece blanda Ducere quo vellet. cf. Sen. Oed. 612; Claud. Laus Stil. II. 170.

339.22: Arioniam chelyn.	Prop III. 21 (26), 18: Arioniam vexerat ante lyram. Ov. A. A. III. 326: Ari0niae fabula nota lyrae.	Cf. Ov. Fast. II. 93–116; Prop. III. 21 (26), 17.

B. Carmina iambica et lyrica.

I. Senarii iambici.		
14.3: divum pater.	Verg. A. VIIII. 495: magne pater divum. — I. 69, saep.: divum pater atque hominum rex.	
14.8: Sed te parentis cura si stringit pia.		Verg. A. XII. 932: te si qua parentis Tangere cura potest.
16.10: conubium . . . . sanciens.		Claud. Ep. Pall. 129: sancit conubia.
342.6: Iam vos (verenda quaeso caeli germina).	Anth. Lat. 6, 1 *R.*: Nunc vos (potentes omnes herbas deprecor).	
374.21: . . . . utque e Martis curia.		Iuv. VIIII. 101: . . . curia Martis Athenis.
ib.24: Iurgis caninos blateratus pendere.		Ov. Ib. 234: Latrat et in toto verba canina foro.
II. Dimetri iambici catalectici.		
36.19: siderum choreis.		Manil. I. 670: . . . . . sidera . . . . . Exercent varias naturae lege choreas.
ib. 29 seq.: Qui cum superna tranat Freta.	Verg. A. IIII. 245 seq.: turbida tranat Nubila.	
37.1 seqq.: . . . Osiris Sationibus gravari Quem scit pater deorum.		Tib. I. 7, 29 (vid. supra).

37.7 seqq.: Cuius vigente virga Dirum stupet venenum, Cui virus omne fanti Orbem facit gemellum.[1]		Lucil. (XX) 512 seqq. (*L*): Nam disrumpetur medius iam, ut Marsu' colubras Disrumpit cantu. Verg. E. VIII. 71: Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Ov. M. VII. 203: Vipereas rumpo verbis et carmine fauces. — Am. II. 1,25: Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues.
54.19: . . devius promissi es.	Sil. I. 57: devius aequi; VIII. 316: devia recti.	
344.4 seqq.: Nunc ergo corda mulcent Amor et canor iugati; Placet ac decet, vicissim Cantemus atque amemus.		Calp. Ecl. II. 92: Carmina poscit amor nec fistula cedit amori. Tuccian. in Anth. L. 277 *R.*: Cantica gignit amor et amorem cantica gignunt. Cantandum est ut ametur et ut cantetur amandum.
ib. 14: .. candidus nivosis Olor involutus alis . . . 27: Gremioque complicatus Pretium tulit pudoris.		Sen. Phaed. 301: Candidas ales modo movit alas. Manil. I. 339: Cum deus in niveum descendit versus olorem. Ov. Her. XVI. (XVII.) 55 seq. .. Leda . . . decepta . . . . . . Quae falsam gremio credula fovit avem.

III. Hendecasyllabi Phalaecei.

32.33: Magnesia . . . . fluenta.	Verg. A. IIII. 369: Aniena fluenta; XII. 35: Tiberina fluenta.	

[1] Hunc versiculum miror quod Eyssenhardtius iudicaverit nondum esse emendatum, quippe quem nulla emendatione egere existimem. Martianum enim istis verbis idem fere de Mercurio probaturum fuisse quod versibus supra collatis praedicatur de cantu, extra dubitationem videtur positum collato alio quodam loco ex Isidori Origg. (VIII. 2) repetito hoc: ‚(Mercurius) virgam tenet, qua serpentes dividit, id est venena'.

33.1: fons Gorgonei caballi.	Iuv. III. 118: Gorgonei . . . . . . pinna caballi.	
ib. 5: . . Pindaream chelyn.	Ov. ex P. IV. 16, 28: Pindaricam lyram.	
343.9: . . . chorumque Phorci.	Verg. A. V. 240: Nereïdum Phorcique chorus.	
ib. 14: Carmen Maenaliae tulere pinus.		Cf. Verg. Ecl. VIII. 22 seqq.; Ov. M. I. 689—712.
IIII. Asclepiadei minores.		
25.26: (de Mercurio): Hic solus numerum promere caelitum Hic vibrata potest noscere sidera.		Manil. I. 25 seqq.: Quem primum interius licuit cognoscere terris Munera caelestum? . . . . . Tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti.
341.9: Omnigenum genitor regna movens deum.	Verg. A. X. 668: Omnipotens genitor. — VIII. 698: Omnigenumque deum	Ov. Tr. II. 37: Iure igitur genitorque deum rectorque vocatur.
ib. 17: Cynthia . . . . lampade menstrua.		Verg. G. I. 353; Prop. IV. 4 (III. 5), 28: menstrua luna. Man. III. 517: Luna dabit menses, peragit quod menstrua cursum.
V. Reliqua metra.		
34.26: Fragor intonet unde resultans. ib. 27: Quid agat per aperta madores. ib. 25: Sacra fulgura cur rutilescant.	Verg. A. II. 692: subitoque fragore Intonuit. Calp. Ecl. I. 86: sonitu fragor intonet.	Ov. M. XV. 69: Quid deus, unde nives, quae fulminis esset origo, Iuppiter an venti discussa nube tonarent. Claud. Cons. Mall. Th. 108 seqq.: quo fracta tonitrua vento. Quid trahat imbriferas nubes; . . . . quae flamma per auras Excutiat rutilos tractus, aut fulmina velox Torqueat.

35.8: cura vigil.	Ov. A. A. III. 411: Cura vigil; (Ov. M. III. 396; XV. 65).	
ib. 9: perdia pernoxque sacris . . . operata chartis.		Pers. V. 62: At te nocturnis iuvat impallescere chartis.
ib. 13: turicremis . . . . favillis.	Ov. Her. II. 18: turicremis . . . . . focis.	
36.14: Foedere iungi.	Verg. A. IIII. 112: . . . . . . foedera iungi.	
345.9: . . . . sidera mundi.	Lucr. V. 433: sidera mundi (saepius; cf. Zingerle, Zu spaet. lat. Dicht. I. p. 51).	

Iam ut hac congerie quid assecuti simus paucis comprehendamus, praeter cetera Martianum apparet *Vergilianam poesin* non solum novisse atque adamasse, verum etiam memoriter tenuisse paucisque locis vel exscripsisse. Qua in re eo usque sibi constabat, ut vel in iambicis lyricisque carminibus, in quibus rerum ratio ita fert, ut de exemplis vix certi quidquam constituere liceat, Vergilianae dictionis quaedam quamvis pauca vestigia agnoscantur. Praeterea in iis partibus, in quibus de rerum caelestium natura agitur, Manilii fortasse Astronomicon libri Capellae ante oculos fuerunt: contra Lucretianae imitationis in his certa vestigia non in sunt. Similiter vero mirum, quod quae cum Horatii carminibus aliquam similitudinem memoria dignam prae se ferrent neque in dactylicis neque in reliquis partibus poeticis invenire potuerim. Ovidium, cuius aliquot locos cum Martiani verbis comparavimus, ne ipsum quidem diiudicarim an tam bene Capella noverit, ad cuius poesin eum se consulto adiunxisse existimemus. Immo sermonis Martianei cum Ovidio similitudinem non maioris faciendam censeo ea, quam inter ipsius et Senecae Lucani Valerii Silii Statii Claudiani aliorum dictionem intercedere passim observavimus: quorum opera cum neminem dubitare putem quin Capella vir certe haud mediocri doctrina instructus legerit, quid mirum si elocutionis quoque quaedam proprietates in eius memoria inhaeserint et suum colorem eius dictioni impertiverint? Quare haud paucos locos a me commemoro esse appositos, non quos Martiano ipsos ante oculos fuisse contenderem, sed ex quibus perspiceretur, ad quod fere poeticae elocutionis genus proxime accessisset. Itaque *in dactylicis partibus* cum Vergilium prae ceteris Capella

imitatus sit[1], contra senariorum iambicorum ipsum argumentum plerumque ita fert, ut cum circumspexisse exempla vix putare liceat; certe cum eorum poetarum nullo, quorum senarii iambici ad nostram usque aetatem pervenerunt, Martianum comparaverim. De lyricis partibus cum fere idem valeat, tamen in his fortasse haud inepte investigabitur, quae exempla Martianus imitari potuerit. Itaque ut eos tantummodo poetas respiciamus, quorum simili metrorum varietate opera distinguantur, Varronis saturas Menippeas huc referri nolim: quem cum in adhibendis metris, ut ait Probus ad Verg. ecl. VI. 31 (p. 14, 21. *K.*), omnigeno carmine saturas suas expolivisse sciamus, sane mirum videretur Martianum, si re vera M. Terentium studuisset imitari, tanta pro operis quidem amplitudine numerorum paucitate fuisse contentum ac non potius ipsum quoque omnia fere metra adhibere conatum esse. Contra in Petronii fragmentis cum septem ni fallor numerorum genera supersint maiore ex parte illa quidem simpliciora, inde fortasse colligere liceret eandem fere fuisse multitudinem metrorum ab eo adhibitorum, qualem apud Martianum esse vidimus: quanquam hic aliis quibusdam numeris utebatur, quae a Petronii poesi aliena fuisse putandum est; velut choriambicum illud, de quo haec proposuit Terentianus (vers. 1889 seq.):

,Qui multos legere negant hoc corpore metri
Romanos aliquid veteres scripsisse poetas.'

Cuius generis versus praeter Terentii duos (Adelph. 612. 613.) reperiuntur apud Septimium Serenum (cf. Terent. Maur. 1891 seqq.) et Ausonium; cum huius vero poetae Burdigalensis nugis metricis sermo Martianeus fere nihil habet commune. Contra Sereni operum sane fieri potuit ut Capella haberet notitiam; quanquam inde, quod semel Septimii quidam versus ab ipso affertur (lib. V. § 518 ,perit abit avipedis animula leporis'), ad nostram sententiam defendendam certe nihil praesidii repeti poterit.[2] Tamen cum Anniano Serenus, quantum nos quidem credimus L. Muellero de hac re disertissime agenti in opere suo, quod est de re metr. poett. Latt. p. 96. 97. itemque in editione Rutilii p. 34. seqq.; 44. seqq., ea floruit apud posteros existimatione, ut hunc putari vix possit neglectum esse ab eo

---

[1] Quem quanto opere dilexerit praeterea elucet ex magna multitudine versuum Vergilianorum passim prosae orationi admixtorum: quorum conspectum reperies in altera appendice huic opusculo subiuncta. —

[2] Hunc versum, qui praeterea laudatur a Terentiano (1464) et Victorino (p. 99.14. *K.*). Sereno adscribit unus Martianus refragante Westphalio (Metrik, II. 2, p. 129 seq.), qui a grammaticis Latinis potius istud metrum fabricatum et per errorem Sereno adiudicatum esse existimat. —

poeta, quem tantam metrorum varietatem certe non ipsum sibi comparasse censebimus. Praeterea vero cum ne Apulei[1] quidem poesin Capellae ignotam fuisse credibile sit, iam horum poetarum, per quos Hadriani et qui eum secuti sunt temporibus veterum poetarum, Laevii dico ceterorumque cantorum Euphorionis studia renascebantur, sectam Martianum persecutum esse omnes habet numeros probabilitatis: ceterum in his studiis utrum ad ipsum Laevium eiusque aequales Capella sese adiunxerit an noni decimique a. u. c. saeculi poetis intercedentibus suae poesis speciem assecutus sit, quae est paucitas reliquiarum, pro certo affirmari non poterit.[2] Certe ex iis, quae de Martianeae elocutionis cum prioribus poetis similitudine dicta sunt, tantum pro explorato sumere licet Capellam praeter imitationem Vergilianam, qua illis temporibus omnium fere poetarum studia occupata fuerunt, aemulatum esse neotericorum rationes vetustiorum poetarum lyricorum artificia exercentium. —

[1] Martiani elocutio quantam cum Apulei sermone prae se ferat similitudinem (id quod certe operae esset pretium diligentius a quopiam explanari) etiamsi nos quidem hoc loco pluribus persequi non possimus, tamen neminem putamus non esse facile perspecturum. —

[2] Ex minusculis poesis Laevianae frustis vix licebit sperare nos aliquam carminum Martiani cum illius poematis similitudinem posse agnoscere. Tamen quaedam in paucis illis Laevii reliquiis insunt, quae nos Martianeae elocutionis commonefaciant; velut haec ‚foedifragus' (M. C. 341.28), ‚impete' (M. C. 341.11), ‚Aurora pudoricolor' (M. C. 31.28), quae commemorantur apud Gellium XVIIII. 7. Ceterum vero quantam operam Capella in effingendis vocabulis antiquiorum ratione compositis navaverit perspici poterit ex appendice II. in fine huius disputatiunculae addita. —

Appendix I.

Index versuum aliunde repetitorum et prosae orationi a Martiano admixtorum.[1]

p. 5.15: ‚pedibus talaria nectit aurea'. Verg. A. IIII. 239 seq.
- 5.25: ‚. . . linguas et praepetis omina pennae'. Verg. A. III. 361.
- 6. 2: ‚Phoebo gaudet Parnasia rupes'. Verg. Ecl. VI. 29.
- 13.10: ‚Postquam introgressi' cett. Verg. A. I. 520.
- 24.29: ‚Conticuere omnes' cett. Verg. A. II. 1.
- 38.22: ‚laetos oculis adflaret honores'. Verg. A. I. 591.
- 200. 3 seq.: ‚Nosque ubi primus equis' cett. Verg. Geo. I. 250 seq.
- 202.27: ‚fundo volvuntur in imo'. Verg. A. VI. 581. (cf. Anth. Lat. III. 81, 7 et 55 *R.*)
- 259.12: ‚caeloque ereboque potentem'. Verg. A. VI. 247.
- 56.24: ‚Munus dat tibi Sulla litterator'. Catull. XIIII. 9.
- 300.20: ‚Ride si sapis o puella ride'. Martial. II. 41, 1.

Appendix II.

Index nominum et verborum aut ab ipso Martiano aut ab iis auctoribus, quorum ille elocutionem imitatus est, ad veterrimorum poetarum morem effictorum.

Substantiva.

p. 11.14. profatum.
- 13.29. praescientiae, Pl.
- 13.32. decretio.
- 25.15. propinquitas.
- 25.24. recursio. (341.6.)
- 27.17. boatus.
- 33.30. assertio.
- 98. 6. effamen.
- 136.16. intimatio.
- 136.25. deceptio.
- 136.27. captentula, Pl.
- 137. 2. circulatrix.
- 137 .3. decipula.
- 137.13. contumiae, Pl.

p. 195. 8. fontigenae, Pl.
- 343. 3. fluctigenae, Pl.
- 298.10. silicernium.
- 332. 6. modulamen.
- 337.23. chelae, Pl.
- 341.11. impes.
- 374.17. plasma. (342.12.)
- 374.18. naucum.

Adiectiva.

- 1. 9. complacitus. (32.32.)
- 1.15. vernificus.[2]
- 27. 8. astrificus.
- 48. 7. sensificus.
- 137.16. somnificus.

[1] Neglectis nimirum iis, qui afferuntur a Rhetorica (lib. V). —
[2] De eius generis adiectivis compositis cf. L. Mueller p. 382/3. —

p. 194. 6. doctificus.
- 232. 1. blandificus.
- 10.10. fluctigenus.
- 343. 6. spumigenus.
- 11. 3. lauripotens.
- 11.14. praecluis.
- 14.12. perpes. (341.27.)
- 25. 1. astriger. (49.5.)
- 31.29. creper.
- 34.14. docticanus.
- 34.28. imbrificatus.
- 332. 9. maestificatus.
- 48.10. ultramundanus.
- 54.17. asomatus.
- 98.11. associus.
- 137. 4. versilis.
- 193.12. rubellulus.
- 194.20. vernicomus.
- 194.24. noctividus.
- 298. 6. palmularis.
- 299.20. coruscifer.
- 300. 5. astrilocus.
- 331.20. interulus.
- 332. 7. dulcisonus.
- 342. 5. omnisonus.
- 341. 1. astrisonus.

p. 332. 8. scrupposus.
- 341.19. plaustrilucus.
- 342.12. disgregatus.
- 343.23. versiformis.
- 343.25. dulcinervis.
- 345.13. illex.

Verba.

- 52.24. innitere.
- 52.30. infiunt.
- 64.15. fuat. (98.11.)
- 195. 2. stupidare. (255.6.)
- 197.23. imbrificare.
- 198. 7. astrificare.
- 339.31. sensificare.
- 341.16. splendificare.
- 342. 3. vividare.
- 342.13. adlubescere.
- 342.17. culminare.

Adverbia.

- 26. 5. mage. (345.10.)
- 98.13. afflictim.
- 332.10. volupe (est).

Index locorum

in hoc opusculo tractatorum.

Index rerum.

VITA.

Natus sum Fridericus Otto Stange in vico Wehrsdorf a. d. XII. Kal. Nov. anni h. s. LVIIII. patre Eduardo, quem ante hos paene XVIIII annos morte mihi ereptum valde doleo, matre Adelheid e gente Wolfiana. Fidei addictus sum evangelicae. Anno h. s. LXVIIII. in gymnasium Dresdense, quod est ad aedem Sanctae Crucis, receptus sum, cuius scholas per VIIII annos Hultschio rectore frequentavi. Anno LXXVIII. maturitatis testimonio accepto Lipsiam me contuli, ubi scholis interfui Arndtii, Braunii, Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Edzardii, Heinzii, Hirzelii, Langii, Lipsii, Meyeri, Ribbeckii, Voigtii, Zarnckii. Per duo semestria spatia seminarii philologici regii socius fui ordinarius; societates vero Langii et Lipsii antiquarias, Zarnckii et Edzardii Germanicas, denique seminarii paedagogici, quod regit Ecksteinius, exercitationes adhuc frequento. Omnibus autem illis, quos venerabundus appellavi, viris doctissimis gratias ago quam maximas pioque eos animo semper colam.

Scribebam Lipsiae a. d. XVII. Kal. Dec. MDCCCLXXXI.